




HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



Programm,

womit zu

der öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

Friedrichs-Werderschen Gymnasiums,

welche

Dienstag den 9. April 1867,

Vormittags von 9, Nachmittags von 2½ Uhr an

in

dem Hörsaale der Anstalt

(Kurstrasse No. 52)

stattfinden wird,

die Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und des Gymnasiums

ergebenst einladet


Dr. Karl Eduard Bonnell,

Director und Professor.

Inhalt:

Berlin, 1867.

Gedruckt in der Nauckschen Buchdruckerei.


HARVARD COLLEGE
JUN 20 1904
LIBRARY

Lectiones panegyricae

Tacitus siue quis alius 'Romanae libertatis assertor' si rediuiuus hanc in lucem reuerteretur, non ualde opinor gauderet tot summorum ingeniorum monumenta interiisse, aetatem tulisse cum alios parui pretii libros tum qui antiquae uirtutis hominibus pestis aliqua ac pernicies uideri debent, panegyricos Latinos. horum enim hominum tanta est in adulando impudentia, talis in mentiendo effrenatio, ut hodie uix quisquam imaginem hominis alicuius cogitatione fingere sibi possit, qui talem orationem coram imperatore sine pudore, sine oris confusione habuerit. est enim haec adulatio plane singularis et sicut in Romano imperio omnia magna erant et grandia, ita et ipsa uasta immanisque et a uulgaribus hominum blandimentis longissime remota: non adulantur modesta illa et quasi humana ratione ut ille ait *perchè gli uomini si compiacciono tanto nelle cose lor proprie ed in modo vi s' ingannano, che con difficultà si difendono da questa peste*, sed conspecto imperatore subito quasi in caelum abrepti homunculum exaduersus se stantem tamquam praesentem deum uotis precibusque adorant. quamquam ne eis quidem sua deest utilitas: uix enim quidquam ex labentis imperii Romani temporibus ad nos usque peruenit ex quo tam dilucide et imperatorum superbia et fastus Romanorumque abiecta humilitas cognoscatur. accedunt multa alia: res imperatorum illorum interdum accurate descriptae, mores aeui multis locis utilissime illustrati, sermo uel propter oratorum patriam cognitione haud indignus. haec tamen non tanti ualebant apud eos qui hanc artem profitentur, ut existeret qui Ioannem Liuineium ad emendandos illos panegyricos qui uocantur felicissimum ducem sequeretur: hodie enim ita circumferuntur ut ne egregia quidem istius, nedum multa bona Acidalii Lipsii Schefferi inuenta in ordinem uerborum recepta videas. sed grauius peccauit Christianus Theophilus Schwarzius — nam Wolgangum Iaegerum et Ioannes Arntzenios Schwarzii pedisequos uituperare uix operae pretium est — admissis ubique libri alicuius manu scripti lectionibus, quem Schwarzius saeculo tertio decimo (u. obseruatt. ad panegyr. Mamertini Maximiano dictum, Altorfii 1739, p. 4) scriptum esse sibi persuaserat. quo de codice cum haec tradat 'possessor *ἀνώνυμος* se perlegisse

die VI Julii, A. 1454, in ligatura, multo quidem recentiore manu, quam quae in ipso codice comparet annotauit' ego olim ex bibliotheca Caroliruhensi codicem nactus qui nunc inter Durlacenses est tricesimus sextus, idem illud scilicet *die VI July 1454* — cetera ita euanuerunt ut nihil amplius dispici potuerit — inscriptum reperi. itaque dubitari uix poterit quin hic idem ille Schwarzii liber sit. sed quem Schwarzius 'quadrigentorum annorum esse' putauit, is saeculo quinto decimo sed a librario aliquo exaratus est, qui antiquiores litterularum ductus — id quod eo aeuo saepissime factum esse innumeri codices superstites testantur — quoad fieri potuit imitabatur. hunc igitur et Schwarzius 'perantiquum et egregium' (panegyr. Plin. p. 732) esse putauit ita ut ubique quae exhibet oratoribus nostris obtruserit, et Iaegerus Arntzeniique etiam in manifestis corruptelis quasi caecutientes secuti sunt, quamquam uel maius illis damnum illaturi fuissent, si Iaegerus codicem — et enim Arntzenii non uiderunt — accurate excutere dignatus fuisset. ego pauca exempla apposuisse satis habebo. itaque primum quidem non solum uocabula sed etiam integras sententias omisit librarius ueluti Mamertini paneg. Maxim. 7, 4 *nostro Rheni alueum.* 13, 4 *quanto magis hunc natalem suum diem coleret.* Mamert. Genethliac. Maximiani 7, 6 *sed electa. notum est saepe eisdem parentibus natos esse dissimiles: certissimae fraternitatis est.* 13, 2 *temporum.* 17, 1 *in uiscera.* Eumenii or. pro restaur. scholis 12, 1 *honestis uero rationibus posse acquirere summum etiam si quaestum remiseris lucrum est.* 13, 1 *petunt.* ib. *instituendam.* 17, 3 *hominum amore doctrinae atque huius ipsius operis ueneratione detentum.* Eumen. paneg. Constantio d. 1, 4 *aut post indultam a pietate uestra quietem studium ruris abduxerit,* alia satis multa. ueram aliorum librorum lectionem saepissime corrupit ueluti Mamert. paneg. Maxim. 10, 3 pro *Indo regi* exhibet *modo regibus.* Mamert. Genethl. Maxim. 3, 1 pro *penitus ueritate* habet *impetus uarietate.* 3, 2 *nam diuinorum omnium* pro *nam primum omnium.* Eumen. or. p. rest. sch. 2, 5 uix credibile est ex hoc codice pro *tubarum sonus* restituisse *turbatum sonus* Arntzeniorum alterum utrum. neminem igitur, ut paucis his interpolationis exemplis defungar, talia fallent, quale est quod Mamert. paneg. Maxim. 5, 2 haece *tu enim, diuinae prouidentiae imperator, consilio prius quam ui bellum gerendum ratus ceteros quidem perduelles, quibus ipsa multitudo pestifera erat,* (ita Liuineius rectissime ex eo quod codex Bertiniensis exhibet *pestiferat) ire passus es in profundam famem* ita leguntur in libro Schwarziano *tu enim diuinae prouidentiae imperator, consilio prius quam ui bellum gerendum curasti, ceteros quidem perduelles, quibus parebat ipsa pestifera* (omisso uocabulo *multitudo) ire passus es profundam famem.* quo uel turpius est quod Eumenii or. pro restaur. scholis 15, 2 optima sententia *quanta . . . inest ad omnes animorum impetus effectusque rerum ciendos uis atque permotio* in Caroliruhensi ita corrupta *q . . . . i. a. o. a. i. e. rerum ciendo suis atque etiam promouendo consiliis per* Iaegero adeo arrisit, ut hasce inde effecerit ineptias *q . . . . i. a. o. a. i. e. rerum ciendo atque etiam suis permouendo consiliis.* quamquam mihi ipse irascor quod reprehendi homines ante hos centum annos codici manu scripto sine iudicio addictos, cum biennio abhinc haud sapientius scriptores historiae Augustae corruperit cui placebat optimorum librorum par saeculo nono et decimo exaratum posthabere editioni

Mediolanensi nulla corruptela non inquinatae, quique egregias emendationes recepisse sibi uidebatur, cum ueluti *Romae remansit* (Anton. phil. 8) scripsit ex exemplo Mediolanensi pro eo quod codices vetusti habent *Romam remansit*, Commodum nihilo minus *in publico* (uitae Commodi 8) *procedere* passus aliaque eius generis cum apud hos scriptores obuia tum nemini mira, qui digestorum et uulgatae aliorumque sequioris aeui librorum sermonem cognouerit. uerum haec nondum satis erant docto illi amico, qui de eo nobisque iudicium tulit in diario scholastico Austriaco (1865 p. 727 sq.), quippe qui etiam codices interpolatos ad emendationem adhiberi uoluerit (p. 732) praeclarus scilicet et harum rerum iudex et uero Latine in paucis doctus. quis enim credat aliorum eum hominem censorem existere et scriptores Latinos emendandos sibi sumere, qui haece uerba uel impuberi puero perspicua (Iordani praef. script. h. A. p. III) *cum .. Palatinum .. Kiesslingius repperisset, ego statim ad recuperandum hoc uitarum diu neglectarum iam non unicum at grauissimum fundamentum me contuli* ita interpretari ualuerit (p. 728) *darauf reiste Jordan nach Rom und verglich dort* .. — ego tamen codicem Carolinhensem in praesenti non prorsus spernendum ratus, quia nullus antiquior liber accurate excussus est, integrum cum Iaegeri exemplo contuli. neque enim desunt loci, ubi de libris antiquioribus nihil traditum est, Carolirubensis ea exhibet, quae et ipsa in uetustioribus libris legi facile tibi persuadeas. conferendus autem uel ideo erat, quod Schwarzius et Iaegerus satis neglegenter officio functi sunt. omiserunt cum alia multa tum integras sententias, ueluti Mamert. Genethl. Maxim. 7, 3 *quidquid alterutri praestatur amborum est.* 4, 1 *quod expeditiones uestras numerare non possumus.*

Vsus est Schwarzius etiam codice aliquo Gudiano — apud Ebertum unus notatur inter Gudianos quadragesimus quintus saeculo quinto decimo conscriptus — Carolirubensi simillimo, quod affirmare satis est: taedet enim profecto in his sordibus inmorari.

Homo mirabilis extitit Laurentius Patarol, qui panegyricos Venetiae a. MDCCVIII et, si famae fides bis postea, ita euulgauit, ut non male Italice interpretatus ad recensendos eos codicibus se usum esse contenderit Marciano Veneto et Ambrosiano singulis, Vaticanis tribus. sed cum et uerba oratorum accuratissime et ni fallor — curiosius enim animum non aduerti — uix uno uerbo mutato ex uulgato aliquo exemplo repetierit et per totum uolumen, si recte memini, semel (Eumen. paneg. Constantio d. 18, 2) codicis alicuius mentionem iniecerit, barbaris, ut fere solent Itali, etiam hanc prouinciam expugnandam reliquisse uidetur. — ceterum in bibliotheca Vaticana olim amicum Capitolinum nescio quem nihil saeculo quinto decimo antiquius reperiri mihi affirmare memini.

Verum prae codicibus illis, qui recentioribus placuerunt, mirum quantum praestabant quos antiquiores adhibebant cum alii tum Ioannes Liuineius Gantensis. is enim, ut erat homo doctissimus idemque acutissimus, non solum codices suos sapientissime ad restituenda oratorum uerba adhibuit sed etiam innumeros locos felicissima et plane egregia arte emendauit. utebatur autem primum quidem aliquotiens — frequentem enim mentionem in commentario eius non inuenies — ueteribus schedis, quas Carolus

Langius cum editione Frobeniana contulerat. afferam lepidum exemplum, ex quo simul libri illius bonitas eorumque hominum peruersitas apparet, qui criticae artis exiguum usum esse contendunt. Arntzeniorum igitur nescio uter 'sunt autem' inquit 'Laeti gentes barbarae, quibus in imperium Romanum sponte transeuntibus, eorumque suboli, terrae desertae dabantur excolendae, ea conditione ut delectui essent obnoxii et legionibus insererentur ..' et de his Laetis multa praeterea congessit amplo doctrinae apparatu satis ridicule abusus. procreauit autem has ineptias locus quidam Eumenii, (panegyrici Constantio C. d. 21) quem Langii schedae et ut puto omnes antiquiores codices ita exhibent .. *sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu Neruiorum et Treuerorum arua iacentia uelut postliminio restitutus et receptus in leges Francus excoluit.* ibi pro uocabulo *uelut* in interpolatis Caroliruhensi et Gudiano est *laetus,* cupide a Iaegero et Arntzeniis arreptum. patet autem eos Laetos, quorum Ammianus Marcellinus XVI 11, 4 mentionem fecit, ueros barbaros et a misera illa Arntzenii seruitute alienos fuisse. ceterum aptissime Eumenius uocabulum postliminium quodam modo excusat: similiter locutus est Mamertinus (grat. act. Iul. A. 23, 4) *exulantes . . . uirtutes ad rem publicam quodam postliminio reduxisti* et Sammonicus Serenus, cuius haec sunt apud Macrobium saturnaliorum III 16, 7 . . . *gratiam eius uides ad epulas quasi postliminio redisse.* — huic codici similis fuisse uidetur quem in membranis scriptum penes se fuisse Liuineius testatur. frequentissimam autem iniecit earum lectionum mentionem, quas a Francisco Modio ex codice aliquo monasterii Bertiniensis, quod Audomaropole erat, excerptas Marcus Welser ei dono dederat. et de hoc libro haec sunt uerba ex Modii litteris ad Lipsium Kal. Augustis a. MDXCVI datis excerpta (uid. Burmanni sylloge epp. I p. 110) 'meditabar sic quoque tamen extrudere hac aestate Panegyricas meas lectiones, ubi multae, ut spero, non contemnendae delectabunt te emendationes et castigationes bonae ex libro Bertiniensi, non nimis bono illo quidem, sed tamen tali ut mihi ad eas faculam praeluxerit.' hunc ego codicem, nisi aliquot loci aperte interpolati obstarent, omnium optimum, quorum quidem notitia extat, iudicarem: quod enim Modius eum non nimis bonum appellat, ei rei non multum tribuendum est: illa enim aetate codices non interpolatos sed uulnera sine emplastro cruda exhibentes, nisi quibus subtilior ars erat, uituperare et prae eis, qui lectionem politam nullisque corruptelis impeditam exhibere uidebantur, contemnere solebant. hodie autem uix diiudicari poterit utrum Modius codicis illius lectionibus suas interdum coniecturas inmiscuerit, an codex quamquam ex egregio aliquo libro originem ducens tamen a librario interpolatus sit. ego certe Modium sua cum codicis lectionibus confudisse crediderim, sed tota res cum ambigua est tum non magni momenti, quoniam, utrumcunque statues, cautissime erit eis utendum quae ex codice illo enotata sunt. ceterum hodie num supersit dubito: certe in indice codicum bibliothecae publicae Audomaropolitanae a Thoma Philippsio confecto, quem Haenelius suo de bibliothecis Galliae cett. libro inseruit, nihil tale reperitur. de aliis libris manu scriptis non nullis quos antiquiores occupauerunt tam pauca tradita sunt ut iudicium prorogandum sit, nisi quod uetus Puteani codex — ita enim appellari solet — ad bonos pertinuisse uidetur.

Et his quidem non expositis sed incohatis — perficiam autem non ego sed cui licebit per Galliam et Italiam his rebus intentum otiari — proferam minus certa quidem sed et ipsa necessaria. multa enim supersunt menda neque a Liuineio aut Acidalio sublata neque librorum manu scriptorum ope, si recte auguror, umquam tollenda. quam enim nostra exemplaria labem traxerunt ad unum omnia iam antiquo tempore ei codici illatam esse ex quo ceteri originem duxerunt cum alia suadent tum loci aliquot quibus aperte sententiae quantacunque fuit particula intercidit. Eumenii (pro instaur. schol. 13) haec sunt uerba *an si fortissimi uiri in sacris certaminibus summo labore atque etiam uitae periculo solam uocem praeconis et coronae testimonium petunt, ego uerba illa diuina caelestesque litteras, quibus mihi tanti principes instituendam iuuentutem commendare dignati sunt non ultra omnium uocum potentiam uenerabundus accipiam, non ultra omnes laureas colam? quas ego, uir perfectissime. tamen etsi hanc quoque mihi ueniam tribuas oportet: neque enim fas ipsius epistulae sacrae commemorationem solam sine obsequio recitationis inducere.* nusquam dicitur quam ueniam Eumenius sibi tribuendam putet. est autem uenia recitandae epistulae. patet igitur post *quas ego u. p.* excidisse uerba quaedam illud significantia. uix enim inuentum iri opinor cui Liuineius persuadeat uerba *quas ego* oratorem dixisse ad Vergilianum illud *quos ego!* respicientem. similiter hiare locum Mamertini, qui est Genethl. 6, 2 recte iam obseruauit Schwarzius.

Itaque Mamertini paneg. Max. Herc. dicti 11, 6 haec sunt uerba *ut enim omnia commoda caelo terraque parta licet diuersorum numinum ope nobis prouenire uideantur, a summis tamen auctoribus manant Iove rectore caeli et Hercule pacatore terrarum, sic omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit, tu tribuis effectum.* pro *facit* quod nihili est, quamuis impigre Arntzenius defenderit, Cortius coniecit *faciem*, Eldikius *causam*, quorum alterum sententiae repugnat, alterum ab eis quae tradita sunt longius remotum est. quid lateat docere potest Plinii locus (paneg. 45, 6) hic 'perge modo Caesar et uim *effectumque* censurae tuum propositum, tui *actus* obtinebunt'; restituendum enim Mamertino est *Diocletianus actum, tu tribuis effectum.* — paullo ante rectius opinor scribetur *rem publicam enim una mente regitis neque uobis tanta locorum diuersitas obest quo minus eam ueluti iunctis dexteris gubernetis* quam quod libri habere uidentur *etiam.* non legi gubernandi uerbum ea re omissa positum quae gubernatur: certe panegyrico oratori nulli placuit cf. Mam. Gen. 3, 4. Eum. grat. act. 10, 2. Nazar. pan. 7, 3.

Grauius, siquid uideo, corrupta sunt eiusdem uerba genethl. Maxim. dicti 2, 4 . . . *infatigabiles motus et impetus ipsa uis diuinitatis exercet, quae uos tantis discursibus toto quem regitis orbe deducit, ut nos semper anxios uestri caritate nuper ad libertatem piae conquestionis impulerit, cum itinera uestra ipsis hiberni solstitii* (ita praeclare Liuineius, *hibernis hostilis* libri) *diebus per uicina illa caelo Alpium iuga, quibus Italiam natura uallauit perque illa saxa et duriorem saxis niuium densitatem desiderio uestri et amore sequeremur et uirtus uestra non sentiret pati nos putaremus iniuriam.* Liuineius post *et* inserebat *quam* procederetque oratio optime, nisi *sentiret* coniunctiuus neque ulla necessitate positus et horum oratorum consuetudini repugnans aliud latere uitium persuaderet.

et uerba quidem ipsa non praestiterim: illud tamen intellegere mihi uideor in *pati* latere *quali* ut tale aliquid restituendum sit *et uirtus uestra non sentiret quali nos cruciaremus iniuria.*

Ib. 3, 4 *ille si quidem Diocletiani auctor deus praeter depulsos quondam caeli possessione Titanas et mox biformium bella monstrorum perpeti cura quamuis compositum gubernat imperium atque hanc tantam molem infatigabili manu uoluit omniumque rerum ordines ac uices peruigil seruat.* pro *praeter* scribendum esse *post* cum alia commendant tum flagitat *mox* quod statim sequitur. lepida sunt proxima Mamertini uerba *neque enim tunc tantum modo commouetur cum tonitrua incutit et fulmina iacit, sed etiam si tumultuantia elementorum officia pacauit, nihilo minus tamen et fata disponit et ipsas quae tacite labuntur auras placido sinu fundit, et in aduersa nitentem impetu caeli rapit solem.* multi sunt in explicandis extremis uerbis interpretes laudaruntque notissimos Ouidii versiculos (met. II 72)

nitor in aduersum nec me qui cetera uincit
impetus et rapido contrarius euehor orbi

sed nemo uidetur intellexisse oratorem misello poetae uituperationi uertisse quod Solem Iouis dicto non audientem finxerat. comparauerat Mamertinus Iouem mundi gubernatorem cum imperatore terrestria omnia moderante offenditque Sole communi mundanae legi ut putauit obuersanti. non intellexit scilicet Ouidii locum de quo cf. Hauptii adnotatio. ridicula esset adulatio antiquitatis corruptrix nisi puderet hominis, ut suam ignominiam commendaret, uetera polluere non grauati.

Ib. 6, 5 *obtrectant sibi in uicem artifices operum sordidorum, est inter aliquos etiam canoras uocis inuidia, nihil denique tam uile tamque uulgare est cuius participes malignis aemulationis stimulis uacent: uester uero inmortalis animus omnibus opibus omnique fortuna atque ipso est maior imperio.* dixit haec Mamertinus loci illius Vergiliani memor

excudent alii spirantia mollius aera,

itaque reponendum est *inter alios.*

De Diocletiano et Maximino aetate disparibus, amicitia quasi fratres essent iunctis, haec sunt Mamertini (7, 6) uerba *non fortuita uobis est germanitas sed electa. notum est saepe eisdem parentibus natos esse dissimiles: certissimae fraternitatis est usque ad imperium similitudo, quae ne* (siue *ne* siue *nae* libri praebere uidentur) *etiam interuallum uestrae uincit aetatis et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales.* offenderunt quibus sana mens fuit in particula *nae* et Gruterus quidem 'nunc malo' inquit 'indicare ignotum mihi sensum istorum omnium uerborum'. intellegi posse Mamertinus mihi uidetur si iunguntur uerba *usque ad imperium similitudo,* ut Patarol interpretatur *l'essere somiglianti per fin nell' imperio.* sed pro *ne* scribendum fortasse *uere.*

Ib. 10, 4 *nunc autem ut primum ex utrisque Alpium iugis uestrum numen effulsit, tota Italia clarior lux diffusa, omnibus qui suspexerant aequa admiratio atque dubitatio iniecta et quinam de illis montium uerticibus orirentur, an his gradibus in terras caelo descenderent.* Liuineius recte scripsit *ecquinam.* deinde uero restituendum est *dei*
utatione uix ulla. haec enim secuntur 'ut uero propius propiusque coepti agnosci .....

non opinione traditus sed conspicuus et praesens Iuppiter cominus inuocari, non aduena sed imperator Hercules adorari.' — praeterea non obuersabor, siquis pro *an* reposuerit *atque*.

Perspicuo exemplo utar alio Mamertini loco (ib. 16, 3 sq.) ut emblemata a librario aliquo adiecta esse demonstrem. haec sunt uerba oratoris *et enim quod ait ille Romani carminis primus auctor*

a sole exoriente ad usque Maeotis paludes

id nunc longius longiusque protendere licet siquis hostilem in mutua clade uesaniam toto orbe percenseat. et enim ipso solis ortu, non modo hac circa Maeotin, sub extrema Septemtrionis plaga, qua feruidum caput Danuuius euoluit quaque horridus secat Albis Germaniam, sed etiam sub ipso lucis occasu ... ruunt omnes in sanguinem suum populi .. *hac circa* in libro Bertiniensi est placuitque Liuineio, alii maluerunt *hac citra.* Liuineius aliquid mendi latere intellexit itaque rescripsit *non modo circa Maeotin, ac sub*, alii alia excogitauerunt. et Liuineii inuentum intellegi quidem potest, sententia non recte procedit. Ennius enim duos terminos posuerat: solem orientem, Maeotin paludem itaque quod Liuineius scripsit falsum est: nam Ennius solis ortum opposuerat paludi illi, eam scilicet septemtrionalem terminum esse ratus. ut breuiter dicam quod sentio, pro *hac* cum Schwarzio scribendum est quod in quibusdam exemplaribus est *ac*. deinde apparet librarium ex Ennii uersiculo *circa Maeotin* perperam addidisse. optima autem haec remanet sententia *in ipso solis ortu non modo, ac sub extrema septemtrionis plaga.*

Ib. 19, 3 *Gemini ergo natales pias uobis mentes et imperatorias tribuere fortunas atque inde sanctitatis uestrae omniumque successuum manat exordium, quod nascentes uos ad opes generis humani bona sidera et amica uiderunt.* haec uerba si omnino quidquam significant, dicendum certe erat *opem*, sententia ne tum quidem admodum bona. neque tamen dubito quin lateat *spes.* exempla huius uocabuli hac aetate pluratiuo numero usurpati adferam ad Symmachi laudes Gratiani Augusti (9).

Mamertini grat. act. Iuliano habitae 5, 5 haec sunt *nisi ille adulescens* (de Spurinna dictum erat cf. Valer. Max. IIII 5 ext. 1) *seueram manum propriis uultibus intulisset, dies et mora ac non longa aetatis successio omnem illum florem corporis peremisset.* patet scribendum esse *dies et hora* neque opus est exemplis in re apertissima: diem autem et moram coniungere cui placuerit inuenio neminem.

Ib. 8, 4 *qua dignitate describes classem per maximi fluminis tractum remis uentisque uolitantem? tum principem nostrum alta puppe sublimem non per eiusce modi agros frumenta spargentem sed Romanis. oppidis bonas spes libertatem diuitias diuidentem? tum ex parte altera in barbaricum solum terrorem bellicum, trepidantes fugas, formidines obserentem?* Mamertinus cum Iuliano Triptolemum comparat a poetis Graecis nimiis laudibus celebratum 'tu puerum inuentorem serendi draconum alitum curru uolantem semina in terras sparsisse iactasti' (8, 1). patet igitur agris a Triptolemo consitis opponi nobilissima oppida a Iuliano felicitati restituta. itaque Arntzenii pro *cuiuscemodi* quod ex libro Bertiniensi Modius enotauerat, restituerunt *eiuscemodi*, quod quamquam paullo aptius est, tamen sententiae nondum satis facit. scribendum uidetur *cuiusque*

modi; requiritur enim ut Triptolemus εἰς τὰ τυχόντα πεδία, ut Liuineius ait, semina sparsisse dicatur. miror Liuineium nostro loco *cuicuimodi* proposuisse, cum apud Latinum Pacatum (9, 4), ubi haec in libris sunt *audio etiam imperator et credo saepe aliqua te laborum tibi iniunxisse et, ne contraheres corporis ueternum, cuiuscemodi semper opere insidiantis otii tersisse robiginem,* rectissime scripsisset *cuiusquemodi.* conferri iubeo si tanti est Ammiani Marcellini XXVII 10, 2 haec *et quoniam casu Christiani ritus inuenit celebrari sollemnitatem impraepedite cuiusque modi fortunae uirile et muliebre sexus . . . abduxit.* laudat ibi Wagnerus XXX 4, *opes cuiusque modi fortunae rimantes* et XXXI 15, 10 *cuiusque modi tela*: ita enim recte scripsit Henricus Valesius pro eo quod libri habent, certe habere uidentur *huiusce modi.* idem restituendum est Macrobio, cuius de Saturno uerba (saturnaliorum I 7, 25) ita exhibet codex Pithoeanus *huic deo insertiones surculorum pomorumque educationes et omnium cuiuscemodi tribuunt* (a prima manu fuit *tribuuntur) disciplinas:* scribendum *cuiusque modi,* non *huiusce modi,* quod in libro Bambergensi est, cum Saturni curam ad omnes fructus pertinere in aperto sit cf. ib. I 10, 19 'quod Saturnus eiusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse credantur'. similia sunt quae Macrobii Praetextatus ex iure Papiriano laudat haec (III 11, 6) *ornamenta uero sunt clipei coronae et cuiusque modi donaria.* ita enim scribendum est pro eo quod liber Pithoeanus habet *cuiuscemodi* — fallitur autem de eo Ianius —, in Bambergensi est *huiuscemodi.*

Eumenius pro instaur. scholis 7, 3 *aedem* inquit *Herculis Musarum in circo Flaminio Fuluius ille Nobilior ex pecunia censoria fecit non id modo secutus quod ipse litteris et summi poetae amicitia duceretur, sed quod in Graecia cum esset imperator acceperat Herculem Musageten esse id est comitem ducemque Musarum, idemque primus nouem signa hoc est omnium Camenarum ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecrauit.* pro *quod* rescripserim *quo,* sed in aperto esse duco uerba *hoc est omnium* a librario male adiecta esse. ceterum non recte intellexerunt Eumenium et hoc loco Acidalius *aedem Herculis et Musarum* legi iubens et quae paullo post secuntur (8, 3) . . *cum ad antiquam firmitatem cultumque reparata sit* (scil. schola Augustodunensis), *multo hic* (Liuineius recte interpretatur Augustoduni) *iustius et uerius nuncupetur aedes Herculis atque Musarum* cum Merula, qui particulam *atque* expunxit, tum Beckerus topographiae Romanae I p. 613 . . . *dass man richtiger* aedes Herculis — Musarum *schreibt oder wie Eumenius thut* . . Herculis atque Musarum. facetus enim Eumenius sibi uidebatur cum diceret Romae aedes esse *Herculis Musarum* ducis et patroni, Augustoduni utraque numina pari auctoritate cultum iri, hoc est aedem fore *Herculis atque Musarum.*

Eumenii orationis hoc est argumentum quod *salarium* . . *in sexcenis milibus nummum* (11, 2) a 'liberalissimis principibus' acceptum ciuitati Augustodunensi ea lege se donaturum pollicetur ut schola publica restituatur. — ceterum non est quod aut Casaubonus (ad Sueton. Oth. 4) nimis amplum hoc 'professorum salarium' fuisse persuadeat aut hodie aliquis rhetoras quindecim milia aureorum (cf. Alciati parerga in editione in us. Delph. laudata) accepisse cum inuidia legat: ea enim aetate nummos immane

quantum minus ualuisse auctor est Mommsenus de nummis Romanorum p. 826 sqq. — huius igitur consilii cum alias rationes affert tum (12, 3) hanc *quippe hoc ipso praemii gloria continetur ne id cupiditate quaerendi affectasse uideamur. quod hoc uno assequi possumus, si p r o a c c e p t o d u c a m u s oblatum: ut industriae sit ad sumendi copiam peruenire potuisse; continentiae, praeteriisse.* non intellegentur haec nisi scripseris quod sententia requirit *si p o s t a c c e p t u m r e f u t a m u s oblatum.*

Ib. 16, 4 *uideor enim mihi,* i d *quod sacris litteris continetur ut saluo honoris mei priuilegio doceam, hoc manifestius atque illustrius retenturus, ut me dignum talibus aeternorum principum iudiciis probem amore rei publicae.* auget Eumenius quod imperatores ei scripserant (14, 4) *nec putes hoc munere ante partis aliquid tuis honoribus derogari, cum honesta professio ornet potius omnem quam destruat dignitatem* contenditque suam dignitatem nouo munere tantum abesse ut minui possit ut in maius extolli sibi uideatur. itaque scribendum est *a d* hoc est p r a e t e r e a *quod sacris litteris continetur.* a d h o c similiter dicunt cum alii tum oratores nostri pro p r a e t e r e a ueluti Eum. restaur. schol. 9, 3. eiusd. panegyr. Constantio d. 11, 4. Latini Pac. pan. 5, 3. 22, 5. incerti pan. Constantino d. 3, 6. plura dabit Handius Turs. I, 124.

Ib. 17, 1 *et enim si bello parta Marti dicantur, si mari quaesita Neptuno, si messes Cereri, si Mercurio lucra libantur, si i t e m r e r u m omnium ad cultum referuntur auctorum: ubi fas est docendi praemia consecrare nisi in sede dicendi?* uix dubito quin pro *r e r u m* scribendum sit *d e o r u m.* conferatur si tanti est simillimus locus hic (20, 1) '. . ut quem ad modum cetera uitae nostrae commoda apud auxiliatores eorum d e o s colimus, ita singularem eorundem erga litteras dignationem in antiqua litterarum sede celebremus:' difficilius dictu est quid in *i t e m* lateat: hoc enim uocabulum corruptum putare quam ante *rerum* excidisse *fructus* Liuineio credere maluerim.

Secuntur haec *praesertim cum mihi ultra communem cum ceteris studiorum religionem etiam proprius quidam sit erga Maeniana illa ex maiorum meorum recordatione d e l e c t u s. quamuis enim ante ingressum pueritiae meae intermissa fuerit eorum e x e r c e n d i s t u d i i frequentatio, tamen illic auum quondam meum docuisse audio* . . uix credibile est *d i l e c t u s,* quod in anterioribus editionibus est, Arntzenios emendasse *d e l e c t u s* ex codice Guelferbytano. praeterea non bene habet *exercendi studii.* Liuineius scripsit *e x e r c e n d i s s t u d i i s,* paullo simplicius erit *exercendi studio.*

Eumenii pan. Constantio Caesari d. 1, 3 ferri posse non nego haec uerba *quamuis enim prima tunc in renascentem rem publicam patris ac patrui merita l i c e t dicendo aequare non p o s s e m, possem tamen recensere numerando,* tamen fortasse erit cui persuadeam sic emendandum esse *merita p i g e r e t dicendo aequare non p o s s e, possem tamen* . . .

ib. 3, 1 *o felix beatumque uer nouo partu iam non amoenitate florum nec uiriditate segetum nec gemmis uitium nec ipsis tantum Fauoniis et luce s e r e n a t a laetum atque uenerabile quantum ortu Caesarum maximorum.* pro *s e r e n a t a* restituerim Eumenio *s e r e n a t a m.*

Ib. 9, 1 uulgo ita editur *quis hoc unquam futurum, etiam si coram uoluisset affari, deus ante uos principes persuadere potuisset quod nunc uidimus et uidemus: totis porticibus ciuitatum sedere captiua agmina barbarorum, uiros attonita feritate trepidantes, respicientes anus ignauiam filiorum, nuptas maritorum, copulatas uinculis, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atque hos omnes prouincialibus uestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur?* non uideo quo modo miserae illae aniculae respexerint suorum ignauiam: scribendum est *despicientes.* deinde uerba *copulatas uinculis* uix intellegi possunt: lenissima mutatione opus est ut ueram Eumenii sententiam reducamus *copulatos uinculis pueros ac puellas* .. extrema eiusdem capituli haec est sententia *cuius* (scil. belli) *magnitudo, Caesar inuicte, hac tenus replicabitur, si prius dicam quam necessarium illud et difficile bellum fuerit, quo magis confectum sit.* non pauca sunt quae homines docti de hoc loco temptauerunt neque displiceret quod Boudamo, homini docto et acuto, in mentem uenit *quod a te confectum sit,* nisi coniunctiuus offenderet. itaque retinuerim *a te* sed propius ad ea quae tradita sunt accedo ita legens *cum* (scilicet scriptum *quom*) *a te confectum sit.*

Pergit Eumenius hunc in modum (10, 1) *minus indignum fuerat sub principe Gallieno quamuis triste harum prouinciarum a Romana luce discidium. tunc enim siue incuria rerum siue quadam inclinatione fatorum omnibus fere membris erat truncata res publica.* nemo dicet quibus rebus curae uel fuerit uel esse debuerit res publica Romana, deos potius Romani iratos sibi crediderunt cf. uitae Gallieni (5) haec uerba 'pax igitur deum quaesita inspectis Sibyllae libris ..' itaque Eumenius scripsit *incuria deorum:* simile est quod auctor panegyrici Maximiano et Constantino dicti 9, 1 habet *quibus* (scil. deis) *aliud fortasse curantibus grandines ruunt, terrae dehiscunt, urbes hauriuntur. quae non illis [hauriuntur] uolentibus sed aut aliorsum aspicientibus aut fatali rerum cursu urgente uidentur accidere.* — adscribam quae apud Eumenium secuntur qualia Arntzeniis placuerunt spretis scilicet optimis et codicibus et emendationibus *tunc se Medus et Parthus extulerat et Palmyrenus aequauerat; tota Aegyptus et Syriae defecerant; amissa Raetia Noricum Pannoniaeque uastatae. Italia ipsa gentium domina plurimarum urbium suarum excidia maerebat. non erat tantum doloris in singulis cum paene omnibus careret.* et *Medus* quidem non est in antiquioribus libris nihilque Medorum fuit cum Gallieno negotii. ueteres libri praebent *nimium,* quod Acidalius recte mutauit in *nimirum.* pro *tantum doloris* optime Liuineius restituit *tanti dolere.* deinde non *careret* legitur in uetere Liuineii Bertiniensique codicibus sed *careretur,* quod recte qui Delphino editionem curabant Cellario probauerunt.

Ib. 14, 4 *prior si quidem a Gesoriacensi littore quamuis feruidum inuectus Oceanum etiam illi exercitui tuo quem Sequana in fluctus inuexerat inreuocabilem iniecisti mentis ardorem, adeo ut cunctantibns adhuc ducibus caelo et mari turbidis ultro signum nauigationis exposceret, quaedam minacia signa quae uidebantur contemneret, die pluuio uela faceret, uentum quia directus non erat captaret obliquum.* ita ut scripsi uulgatur, sed in Bertiniensi est *quem Sequanam nisi inuexerat.* quidquid autem praeterea in codicibus

extat a medii aeui hominibus excogitatum uidetur *quem Sequanae fluctus inuexerat* aut *quem in Sequanam inuexerat* aut *quem in Sequanam uis inuexerat* aut *quem in Sequanam ui inuexerat.* et alia quidem aliis placuerunt, ueluti Gruterus scripsit *quem Sequana in fluctus inuexerat,* quod et ab eis quae tradita sunt longius recedit, eoque nomine displicet quod fluctus obscure pro mari diceretur. Liuineius proposuit *quem Sequana curuus inuexerat,* Acidalius *quem Sequana fluuius inuexerat* nimis moleste omittentes quo classis inuecta sit. pro litteris mnisi mihi quidem simpliciter restituendum uidetur mari hoc est *quem Sequana mari inuexerat.* non longius distat a librorum *in iis ardorem* quod Acidalius scripsit quodque nemo in dubium uocabit *mentis ardorem.* praeterea recte qui librum Guelferbytanum exarauit in his uerbis offendit *minacia signa quae uidebantur contemneret:* nimis enim profecto inepta sunt. in illo igitur libro haec sunt *minacia uidebantur signa contemnere* non multo si dis placet meliora. scribendum uidetur *timebantur:* contempsit exercitus ardoris plenus quae a nautis peritis timebantur tempestatis indicia.

Insignem Constantii ex Gallia in Brittanniam transuehentis felicitatem hisce uerbis Eumenius praedicat (15, 1) *nec fefellit opinio uestrae felicitatis. si quidem, ut ex ipsorum relatione comperimus, ad tempus ipsum tantae se dorso maris nebulae miscuerunt, ut inimica classis apud Vectam insulam in speculis atque insidiis collocata ignorantibus omnino hostibus praeteriretur, ne uel moraretur impetum, quamuis non posset obsistere.* scribendum duco *nec uel moraretur impetum.* falso enim acumine uteretur, qui *ne* de eo dictum putaret, quod quasi Fortuna personata sibi proposuerat, cum hostilem classem Constantium aggredi uetaret. ita enim orator Fortunam non induxit sed semper de numine Caesaris tantis scilicet rebus pari uerba fecerat.

Ib. 16, 4 *illa barbara aut imitatione barbariae olim cultu uestis et prolixo crine rutilantia, tunc uero puluere et cruore foedata et in diuersos situs tracta, sicuti dolorem uulnerum fuerant secuta iacuerunt atque inter hos ipse uexillarius latrocinii cultu illo, quem uiuus uiolauerat sponte deposito, et uix unius uelaminis repertus indicio.* non intellego quid significet *cultu.* scribendum est *culta uestis* opponiturque foedatae. colendi uerbum de uestibus dictum esse qui exemplis probari desiderauerit, ei Gessnerus satis faciet s. u. cultus. *uelaminis* unde in Eumenium illatum sit ignoro: in Bertiniensi deest, de ceteris libris tacetur, quod autem in Caroliruhensi extat nauci facio. est uero plane absurdum; quod si regia ueste se exuerat Allectus, quo modo uestis alicuius simplicis indicio agnosci potuit? agnoscebatur ab homine aliquo siue captiuo siue in exercitu uictore militante. hoc sensit Liuineius cuius hance adnotationem 'abest in Bertin. nescio an non rectius, *uel alterius,* quod olim mihi in mentem venerat' hunc in modum corruptam adscripsit Iaegerus 'mox *uelaminis* nescio an non rectius *uel alterius,* quod olim mihi in mentem uenerat.'

Eumenii panegyricus coram Constantino Augusto dictus ab his uerbis incipit *facerem sacratissime imperator quod paulo ante plerique suaserunt, ut quoniam maiestas tua hunc mediocritati meae diem in ista ciuitate celeberrimum ad dicendum dedisset, de eo ipso ducerem sermonis exordium, nisi me ab hoc duplex ratio reuocaret considerantem neque*

mediae aetatis hominem ostentare debere subitam dicendi facultatem, neque ad aures tanti numinis quidquam nisi diu scriptum et saepe tractatum afferri oportere. huc accedit quod iam satis multi sunt qui me putant nimium multa dicturum . . optime haec procedunt sed satis inepte a librario aliquo post uerba *afferri oportere* haec inserta est sententia *nam qui apud imperatorem populi Romani dicit ex tempore, quantum sit non sentit imperium.* uix patronum opinor inueniet mira haec causa cur Eumenium coram imperatore dicentem subitaria oratio dedeceat.

Ib. 5, 2 haec de Constantio leguntur *qui ascitus imperio primo aduentu suo innumerabili hostium classe feruentem exclusit oceanum exercitumque illum, qui Bononiensis oppidi litus insederat, terra pariter ac mari saepsit, cum reciprocos cursus illius elementi iactis inter undas uallis diremisset, ut, quorum portas fluctus allueret, mare et, quod tangerent, perdidissent.* ita fere in uulgatis exemplis legitur, sed primum quidem pro *reciprocos cursus* cum Liuineio scribi debebat *reciprocos aestus*: in ueteribus libris enim est *reciprocos sensus.* extrema uerba intellegi posse nego negaueruntque Liuineius Acidalius Barthius Arntzenius. et Liuineii haec est coniectura, scriptum fuisse *et quorum . . mare etiam, quod tangerent, perdidissent* explicatque *quod tangerent* his uerbis *quo allui solerent.* non feliciter res cessit homini egregio: quae enim scripsit et obscura sunt et uix Latina. similia neque tamen meliora excogitauit Acidalius haec *ut . . . et mare quo tangerent perdidissent.* Barthius fere eadem proposuit *ut . . . allueret et mare, quo tangerent, perdidissent.* offendor autem in primis miro isto dicendi genere *mare perdere* pro *nauigatione priuari.* Arntzenius denique molesto et inutili uerborum strepitu sua commendat haec *mare quod frangerent perdidissent.* non immorabor in explicando hoc oraculo: adeat cui uolupe est ipsam illam Pythiam. — in aperto esse iudico duplicem hostibus a Constantio paratam dici perniciem, perituros terra marique propter alium Eumenii locum (paneg. Constantio Caes. d. 6, 1) ubi explicatior obsidionis illius mentio inicitur *si quidem illa celeritas, qua omnes motus atque aduentus tui nuntios praeuertisti, cepit oppressam Gesoriacensibus muris pertinacem tunc errore misero manum piraticae factionis atque illis olim mari fretis alluentem portas ademit oceanum. in quo diuina prouidentia tua et par consilio effectus apparuit, qui omnem illum sinum portus, quem statis uicibus aestus alternat, defixis in aditu trabibus ingestisque saxis inuium nauibus reddidisti atque ipsam loci naturam admirabili ratione superasti, cum mare frustra reciprocum prohibitis fuga quasi illudere uideretur tamquam nullo usu iuuaret inclusos, quasi redire desisset.* hoc igitur cum nostro in loco inesse appareat, primum nihili est *quod tangerent:* ita enim terram significari non posse quiuis concedet: facile autem post *tangerent* excidere potuit *terram*, praetereaque mutandum est *quod* in *quo.* deinde cum *portas fluctus allueret* recte dicta sint, superest ut pro *mare* scribatur *mari.* hanc igitur sententiam eruimus *ut, quorsum portas fluctus allueret, mari et quo tangerent terram, periissent.* non laudo plusquamperfectum *periissent* pro imperfecto positum: sed eidem culpae Eumenius obnoxius erit, si retinueris quod codices habent *perdidissent.* — Casparis Barthii quod antea mentionem inieci, a procacis petulantiae crimine me defendam. cum enim praefationis in Martianum Capellam p. XXVIII

Barthium codices illius hominis ementitum esse dixi, putabam miram istius hanc insaniam omnibus notam esse quamquam rationibus in apertissima fraude omnino non opus erat. nunc autem Barthii patronis (*Wiener Litteraturzeitung* XIII p. 319) indicabo unde eum suas coniecturas pro codicum lectionibus uenditare solitum fuisse intellegant: cf. Iahnii praef. Censor. p. XVII.

Ib. 7, 2 *neque enim ille tot tantisque rebus gestis non dico Caledonum aliorumque Pictorum siluas et paludes sed nec Hiberniam proximam nec Thulen ultimam nec ipsas siquae sunt fortunatorum insulas dignabatur acquirere sed, quod eloqui nemini uoluit, iturus ad deos genitorem illum deorum ignea caeli astri refouentem prospexit Oceanum, ut fruiturus exinde luce perpetua iam uideret illic diem paene continuum.* non uideo quo modo *Caledonum aliorumque Pictorum* intellegi possit, transponenda uocabula sunt *Caledonum Pictorum aliorumque.*

Ib. 11, 7 *semel acie uincitur sine fine documento. cladem suam, quamuis multi pereant, uulgus ignorat: compendium est deuincendorum hostium duces sustulisse.* quid sit *sine fine documento* nemo facile dicet. et Patarol quidem interpretatus est *in guerra una sola volta si vince, ma con insegnamento che mai non finisce,* sententia ut puto recte perspecta. sed hoc nullo modo ita Eumenius enuntiare potuit ut libri praebent, simodo de lectione constat. scribendum uidetur *semel acie uincitur: sine fine documentum.*

Seruii ad Verg. Aen. VIII 727 haec sunt *Rhenus fluuius Galliae, bicornis autem, quia per duos alueos fluit: per unum, qua Romanum imperium est; per alterum, qua interluit barbaros.* praeterea sequiore aeuo illa Rheni appellatione nihil est uulgatius cum apud Symmachum aliosque tum apud nostros oratores. hinc emendandum puto quod Eumenius habet 13, 2 *sed pulchrum tibi uidetur et re uera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solum superioribus locis, ubi aut latitudine uadosus aut uicinia fontis exiguus, sed etiam ibi nouo ponte calcetur, ubi totus est, ubi iam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluuius et barbarus Nicer et Moenus inuexit, ubi iam immani meatu ferox et aluei unius inpatiens in sua cornua gestit excedere.* uerbum *unius* oppositum flagitat, siquid uideo, ut scribatur *in duo cornua.*

Ib. 14, 2 *quamlibet enim merito pietatis tuae questibus arguatur, debet tamen sibi uox priuata moderari, praesertim cum eum qui tibi ex tantis beneficiis tuis et tanto necessitudinum fonte ingratus extiterit, adhuc contemplari cogat ut quasi ira referueat.* mentionem iniecerat Eumenius Maximiani, quem *ab urbe pulsum, ab Italia fugatum, ab Illyrico repudiatum* (14, 6), hospitio Treuirensi exceptum, affinitate deuinctum Constantinus re uera crudeli et suspicaci ingenio obsecutus sed simulans quasi miserum senem *bellum ciuile suscipere* (15, 2) crederet, ad mortem usque persecutus erat. de hoc igitur quo modo dicendum sit sibi non liquere confitetur Eumenius: uituperandus est qui nouas res contra imperatorem moliri ausus fuerit, neque tamen acerbius inuehendum in Constantini socerum summis a genero honoribus ornatum. hanc igitur sententiam ex uerbis *adhuc contemplari cogat ut quasi ira referueat* — ita enim in Puteani codice leguntur similiaque alii libri praebent, quod enim ex Langii schedis laudat Liuineius *adhuc contemplari cogamur, tuque quamuis iratus, reuereare* in aperto est Langii coniec-

turam esse — nemo elicere potuit. itaque primum patet *quasi* nihili esse: si enim ad excusandum uerbum *referueat* in re translata usurpatum pertineret, dictum esset *ira quasi referueat*. recte igitur Rhenanus pro *quasi* scripsit *quamuis*. deinde Langius bene pro *cogat ut* scripsit *cogamur*. restat *contemplari* a ceteris seruatum tali aliqua opinor sententia *rationem habere, parcere*. simpliciter scribendum uidetur *commendare*, ut haec sit tota sententia *adhuc commendare cogamur quamuis ira referueat.*

Eumenii gratiarum actionis Constantino Aug. Augustodunensium nomine habitae 2, 2 *primum est autem, sacratissime imperator, in agendis gratiis ostendere, id quod indultum sit non fortuitae felicitatis sed iustae fuisse clementiae. nam cum omnes homines coram non indigentes iuuare boni sit principis, tum praecipue bene meritis et grauiter afflictis* (ita recte pro *affectis* Liuineius conlato loco alio qui est 5, 1 'dixi quam bene meritis Aeduis subueneris, imperator: sequitur ut dicam quam grauiter afflictis') *subuenire sapientis est.* in omnibus libris esse *coram* testatur Liuineius coniecitque *gratia*, quod uix cuiquam probabit. Gruterus aeque infeliciter suspicabatur *homines sub Romano imperio degentes.* Acidalius *coram* mutauit in *etiam* non magna probabilitate quamquam sensu perspicuo. mihi *coram* optime habere uidetur: laudatur imperator coram suos adiuuans, sicut Constantinus Augustodunum ipse uenerat multique sunt oratores nostri in laudandis principibus qui praesentes suis subuenire non grauentur cf. ib. 7, 5 *boni principis est libenter suos uidere felices, sed melioris inuisere etiam laborantes.* sed ineptissima sunt uerba *non indigentes* apertissimeque produnt librarium aliquem illud *omnes homines* suo modo explicantem. hac igitur glossa deleta restant optima *nam cum omnes homines coram iuuare sit boni principis.*

Ib. 6, 3 *ita quidquid olim fuerat tolerabilis soli aut corruptum est paludibus aut sentibus impeditum. quin etiam ipse ille pagus Arebrignus inani fertur inuidia, cuius in uno loco uitium cultura perspicua est: nam retro cetera siluis et rupibus inuia securarum sunt cubilia bestiarum.* Rhenanus coniecit *manu seritur inuida*, in quibus *seritur* egregium est, cetera non recte administrauit: non enim dicitur ager parum diligenter uel nimis parce conseri sed corruptus esse. itaque *inani* rectissimum est et pro *inuidia* restituendum *industria.* deinde *in uno loco* in melioribus libris est nimisque patienter a plerisque toleratum: uerum *imo loco* dudum inuenit Liuineius.

Ib. 6, 6 *ipsae denique uineae, quas mirantur ignari, ita uetustate senuerunt ut culturam iam paene non sentiant. radices enim uitium, quarum iam nescimus aetatem, milies replicando congestae altitudinem debitam scrobibus excludunt et ipsam propaginem non debitam sed obtectam produnt imbribus eluendam et solibus perurendam.* displicuit interpretibus uehementer *propago non debita sed obtecta* aliisque ex glossemate nata, aliis emendanda esse uidebatur. praeterea ea in re offenderunt, idque rectissime, quod propago obtecta dicitur, cum potius radices nudas imbre et sole affici appareat. itaque Puteani *progaginem non obtectam* proponentis haec est aduotatio *il veut dire, que pour ce que l'on ne pouvoit faire les fosses des vignes profondes, les provins n'étoient pas assez avant dans la terre, ainsi étoient presque découverts, qui étoit cause qu'ils étoient ou gâtés des eaux, ou brûlés du soleil.* Arntzenii — patris opinor — coniecturam *non de-*

positam, sed obtectam filium intellexisse sperandum est, ceteri mortales quid sibi uoluerit ignoramus. Acidalius denique scripsit *non desitam* aut *non defixam* similiterque Patarol interpretatus est quamquam seruata librorum lectione — priora autem bene intellexit — *posciachè le radici loro, delle quali non sappiamo il tempo, dal molto fruttare aggruppatesi, riescono anzi all' in sù, invece di profondare, e lasciano affogare all' acque, bruciare al sole i germogli, non radicati, ma sol coperti da poco terra.* mihi uero *debitam* optimum uidetur: hoc enim summae uiuitoribus curae est ne uites longius in palmites excrescant neue radices latius explicentur: ei autem rei statis per annum uicibus cauent et sarmentis circumcisis et scrobibus repastinatis — quod enim ueteres qui de re rustica exposuerunt, silices uel rubos circa radices in ima fossa disponere iubentes laudauerunt, hoc num Itali hodie faciant ignoro, nostris in uineis non me uidere memini, in Rhenanis fieri itidem negant indigenae. ubi igitur illa repastinatio omissa fuerit, radices propaginem agunt quam colonis *non debent*, hoc est inutilem et noxiam. restat solum illud *sed*, quo seutentiam turbari antea obseruaui: scribendum uidetur *non debitam* n e c *obtectam*.

Ib. 10, 2 *sic ingenui largique fontes ut ubique prosint, ire festinant: sic celeriter in terras caelo missa perueniunt: sic denique diuina illa mens, quae totum mundum hunc gubernat, quidquid cogitauit ilico f e c i t.* scribendum est *f a c i t.*

Tributis partim remissis Constantinus miseram Augustodunensium, siue ut Eumenius ait F l a u i u m Valerium Constantinum scilicet adulaturus, Flauiensium, ciuitatem adiuuerat. de ea igitur imperatoris liberalitate haec sunt oratoris uerba (11, 3) *remissione ista septem milium capitum uiginti quinque milibus dedisti uires, dedisti opem, dedisti salutem: plusque in eo consecutus es quod roborasti, quam recidisti in eo quod remisisti: qua tenus t a n t u m tibi firmum certumque redditum est id, quod irrito petebatur.* sententia perspicua est sed extrema uerba nondum persanata sunt. et libri quidem ea fere habent quae adscripsi ex Arntzeniorum editione, nisi quod in Bertiniensi pro *quatenus* legitur *quartum* solo nisi fallor librarii errore ortum. apparet uocabulum *tantum* sententiam turbare, itaque Puteano aut seiungi aut cum particula *tum* mutari placuit. puto ueri similius et sententiae aptius scribi posse *qua tenus t a n d e m tibi firmum . .*

Extrema capituli haec sunt uerba *o diuinam, imperator, tuam in sananda ciuitate medicinam. sicut aegra corpora et onerata s t u p e n t i u m torpore membrorum resecata aliqua sui parte sanantur, ut imminuta uigeant quae exaggerata torpebant, ita nos nimia mole depressi, leuato onere consurgimus. e x a g g e r a t a* ex codice Bertiniensi recte recepit Liuineius, nihili enim esse quod alii praebent *exacerbata* Iaegerus bene demonstrauit. si autem corpora e x a g g e r a t a torpebant, non recte antea membra s t u p e r e dicuntur. quamquam enim stupendi uerbum etiam de corporibus usurpatur — ueluti Celsus III 26 (117, 4 Dar.) 'attonitos' inquit 'quoque raro uidemus. quorum et corpus et mens *stupet*' — nostro loco de membris t u m e s c e n t i b u s dicitur, ut appareat scribendum esse *et onerata t u m e n t i u m torpore membrorum.* exemplis non opus est, qui requiret Celsum adeat uelut III 21 (106, 1. 108, 10 et 30 Dar.)

Ib. 12, 2 *quamquam enim adhuc sub pristina sarcina uacillemus, tamen leuior uidetur quia* u i c i n o p e r f e r t u r: *exonerandi praesumtio dat patientiam sustinendi.* praeter uerba corrupta *quia uicino perfertur,* quae ex Arntzeniorum editione repetiui, obscura sunt etiam reliqua. conferenda tamen quae paullo post secuntur (12, 4) *recreatur animus securitate praeteriti remissisque reliquis nihil est quod respectandum timendumque sit, quod aliquid uirium uenturis pensitationibus neget* (ita recte *necet* emendauit Liuineius): uidetur igitur nostro loco Eumenius Augustodunensibus gratulari remissa anterioris temporis tributa et uerba *quamquam .. sub pristina sarcina uacillemus* intellegenda esse de tributis futuro tempore soluendis. puto autem Eumenium consulto obscuris uerbis usum esse: tam misera enim erat ciuium condicio ut, quamquam remissis quae debebant tributis, uix sperari potuerit fore ut postea quae soluenda erant re uera dependerent. sed haec dicere non audebat itaque mirifice se compluribus locis torquet, ut imperator intellegat quae Augustodunenses desiderabant. quod si eo de quo agimus loco de ciuibus aere alieno liberatis dicitur, hoc in corruptis uerbis inesse debet. neque tamen ante inspectos ueteres libros recte statui potest: quod enim ex suo uetere et Bertiniensi Liuineius laudat, aut errore aliquo ad illos libros retulit aut ne ei quidem interpolationibus uacasse credendi sunt. habent enim si Liuineio fides *quia* u i c i n o n e m o p r a e f e r t u r. in Puteani editione est *quia* n e m o u i t u r p r a e t e r i t o putem pro i u t u r emendatum esse a librario aliquo u i c i n u s. latere potius uidetur *quia nemo* u i n c i t u r p r a e t e r i t o, sed ut dixi tota de hoc loco quaestio amplianda est.

Ib. 13, 3 .. *in uetere illa re publica ad censorum laudem pertinebat, si lustrum felix condidissent, si horrea messis implesset, si uindemia redundasset, si oliueta larga fluxissent. quid ergo nos conuenit gratulari de hoc indulgentiae tuae lustro? lustro,* q u o, *licet nulla frugum* c e s s a r i t *ubertas, fecisti tamen ut omnia uideantur fuisse largiora quam fuerint.* totam sententiam peruertunt uerba illa *quo licet nulla frugum cessarit ubertas:* re uera enim prorsus n u l l a frugum ubertas fuerat sed remissis tributis omnia sibi habere Augustodunenses uidebantur: hanc ueram esse oratoris sententiam cum ex eis quae antecedunt apparet tum apertissime ostendunt quae secuntur 'ualet enim nos tantum habuisse quantum habere desiuimus' (ita bene Liuineius: in libris est *desinimus*) 'ualet plena fuisse horrea, plenas cellas, cum in nullis reliquis haereamus. h o c n o b i s e s t i s t a l a r g i t i o q u o d t e r r a m a t e r f r u g u m, quod Iuppiter moderator aurarum. q u i d q u i d i l l i p a r c i u s d e d e r a n t, n o b i s t a m e n e x b e n e f i c i o t u o n a t u m e s t.' nostro loco ut rectum restituatur lenissima mutatione efficietur si mecum scribetur q u o d *licet nulla frugum* b e a r i t *ubertas.* beandi uerbo idem usus est Eumenius paneg. Constantio Caes. d. 4, 4 *salutari beatis luce prouincias.*

In extrema orationis parte Eumenius depingit gaudium, quo ciuitas Augustodunensis exultatura sit Constantino adueniente. haeserunt autem interpretes in hisce oratoris uerbis (14, 4) *praesertim cum tu omnium nostrum conseruator adueneris, et quasi* i l l e *maiestatis tuae comes et socius, flagrabit tota ciuitas, gaudiis perstrepet et, cum proficisceris, fortasse retinebit.* alia ab aliis prolata sunt: fuerunt enim qui de Constantini filio cogi-

tarent eumque Augustoduni remansurum fuisse crederent. sed haec alii recte refellerunt. Acidalius pro *quasi* scripsit *pietas*, Rhenanus quod uix intellegitur *quasillus*, Puteanus primum quidem *aut quis alius*, deinde uero *quasi illa socia*, ipsam ciuitatem intellegens, Arntzenius omnium ineptissime *et qua sit illa socia*. — ego si modo hoc adulandi genus recte perspicio, simpliciter scribendum opinor *et quasi ipse maiestatis tuae comes et socius*, sententia obscura quidem sed quam in Eumenio uix mireris, praesertim si adtenderis ad ea, quae proxime secuntur *omnium sis licet dominus urbium, omnium nationum, nos tamen etiam nomen accepimus tuum iam, non antiquum: Bibracte quidem huc usque dicta est Iulia, Pola, Florentia, sed Flauia est ciuitas Aeduorum.* itaque Constantinus ipse est quasi comes maiestatis suae, hanc autem accepto Flauii Constantini nomine, Augustodunensibus quasi numen aliquod remansuram esse gloriatur.

Nazarius paneg. Constantino Aug. d. 3, 4 haec habet *nobilissimorum quoque Caesarum laudes exequi uelle studium quidem dulce sed non et cura mediocris est, quorum in annis pubescentibus non erupturae uirtutis tumens germen, non flos praecursor indolis bonae laetior quam uberior apparet, sed iam facta grandifera et contra rationem aetatis maximorumque fructuum matura perceptio.* egregie Acidalius intellexit scribendum esse *facta granifera:* de optimo Acidalii inuento tacet Arntzenius sed excogitauit *glandifera*, quod quamuis ineptum ne inuenisset quidem nisi Acidalio praeeunte. tamen hoc in genere multo simplicius est quae alii excogitauerunt sibi adscribere. nam Liuineius proposuit pro *maximorumque* scribendum esse *maximorum quoque* additque similiter in uita Gallienorum (cap. 4) reponendum esse *exercitibus quoque consentientibus:* itaque Hermannus Peterus adnotauit "quoque *scripsi*" paullo aliud quam in Iordani meisque emendationibus commemorandis secutus consilium. mihi tamen nostro loco Liuineius errasse uidetur: molestissimum enim est illud *quoque* post hanc sententiae particulam *et contra rationem aetatis* repetitum. et Acidalius quidem cum idem sentiret, delenda censebat uerba *contra rationem aetatis*, quibus uix quisquam in hac sententiarum coniunctione caruerit: itaque potius uidetur delere illud *que*. — restat ut de uerbis *sed non et cura mediocris est* dicam: confidentius ut apud Nazarium statuere non ausim sed uidetur *non* post *cura* transponendum esse: *sed et cura non mediocris est.*

Maxentius cum Romae Constantini statuas deiecisset et imagines obleuisset, Eumenius uanum ideo hominis furorem fuisse contendit quod Constantini imago ita in omnium mentibus infixa sit ut nulla arte inde euelli quasi potuerit. tum pergit hunc in modum (12, 4) *uniuersorum pectoribus infixus est nec commendatione cerae aut pigmentorum fucis renitet sed desiderio efflorescit animorum. una demum Constantini obliuio est humani generis occasus.* sententia aperta est: actum esset de hominibus si Constantini obliuisci possent, itaque multo aptius uedum necessarium erit pro *est* scribere *esset.* omnia enim quae antecedunt ea in re uersantur, ut Constantini obliuisci homines plane non posse probetur. sed quae secuntur turpi uitio laborant. sunt autem haec *nunc uero commendabiliorem iniuria tua faciet patientiam eius: auidius expetent quem pictura non reddit: flagrantiora sunt animorum desideria, cum oculorum solacia perdiderunt.* quid? hacine erat Maxentius *patientia*, ut Constantinum ea iniuria afficeret, qua uix maiorem ullam excogitare poterat? in aperto est reponendum esse *nunc uero*

commendabiliorem iniuria tua faciet amentiam eius. conferantur si tanti est quae paullo ante leguntur (7, 4) 'illa igitur uis, illa maiestas, fandi ac nefandi discriminatrix, quae omnia meritorum momenta perpendit librat examinat, illa pietatem tuam texit, illa nefariam illius tyranni fregit *amentiam* . .'

Ib. 29, 5 de Constantino fortiter in pugna rem gerente haec sunt uerba *inuadis primus aciem, solus irrumpis, obumbrant euntem telorum irriti iactus, sonat ictibus umbo securus, his quos cum trabalis hasta deicit, insultans ferus proterit.* codicum non accuratam habemus notitiam sed uidetur *his quos cum* in eis inesse, nisi quod sunt qui omittant *cum*. et Acidalius quidem eiecit uerba *his* et *cum*, mihi solo *his* carendum esse uidetur: in *quos cum* enim latet *quoscumque* ut scribendum sit — priora enim bene administrauit idem Acidalius — *sonat ictibus umbo securus: quoscumque trabalis hasta deicit, insultans ferus proterit.* unum hoc addam ferum saepissime pro bestia dictum hic significare equum non quo putem hominem uel mediocriter institutum talia ignorare, sed ne illum, cuius antea mentionem inieci (p. 3), ignoti uocabuli miratio subeat. cum enim in uitis triginta tyrannorum (14) lenissima mutatione scripsissem *adulescentem cum Ballista praefecto nudum (dudum* codices) *interemit*, iste (annales scholasticae Austriacae 1866 p. 743) *E.* inquit *conjicirt* nudum, *welches aber ebenfalls nicht wohl erklärt werden kann:* ignorabat scilicet saepissime nudum pro inermi dici. sed praeclarum est quod ipse coniecit *wahrscheinlich schrieb Trebellius Pollio durius*, quod quam absurdum sit non exponam: sunt enim quae ne refutari quidem mereantur.

Nulla ad nos peruenit adutendi uerbi memoria: quod enim antea ex Catone de re rustica 76, 4 laudabant, hodie rectius scribitur *abusus eris.* neque enim recte Forcellinius explicat *ita aliqua re uti ut tota consumatur:* quod si re uera uocabulum erat, significabat *praeterea uti.* itaque in eadem oratione (30, 3) haec leguntur *o si nunc mihi facultas daretur sermonis pro rerum dignitate figurandi! adhiberem omnes flosculos et abuterer exquisito quodam lepore ac uenustate dicendi.* ferri posset *abuterer*, sed multo melius esse *aduterer* cum alia suadent tum quae secuntur haec *iam strepitus Martii iam tubarum sonores festiuis uocibus et resultanti fauore mutantur. dicendus in urbem ingressus est imperatoris, et in exprimendo senatus populique Romani maximo gaudio ingrata, nisi et ipsa lasciuiat oratio.*

In Constantini triumpho (31, 3) si Nazario credimus, *duci sane omnibus uidebantur subacta uitiorum agmina, quae urbem grauiter obsederant: scelus domitum, uicta perfidia, diffidens sibi audacia et importunitas catenata: furor uinctus et cruenta crudelitas inani terrore frendebant,* sed scribendum est *inmani*, neque enim uanus eis terror erat, sed magnus et uerus metus, ne Constantino imperante de se actum esset.

Ib. 32, 3 caput Maxentii inter triumphalem laetitiam portatum ab omnibus irridebatur, nam *fraudari indulgentissimus princeps ea gratia neminem uoluit, quo minus omnia quae* (ita recte nescio quis Rhenano laudatus: libri *quo* habent nisi quod *qua* est in Langii schedis) *odium eius peruaserat, spectaculum tyrannici funeris expiaret. ubique iam quidem laetitiam gestae rei diffuderat Fama uelox et ad celeritatem nuntii pennata Victoria; insequebatur tamen uberiore cum gaudio ipsius rei fructus* . . in aperto duco scribendum esse *iam pridem.*

Ib. 37 *quae tuum, Constantine maxime, mite pectus inundauit gratulatio cui tanto*

interuallo uidere filium licuit et uidere uictorem! narrauit *utique* *exhausta bella et hoc ad tuam* (ita bene Sigonius ab Arntzeniis laudatus: libri sui) *gratiam, non ad sui ostentationem,* *qualis* *excipiendo hosti* (libri *hoste,* emendauit Iaegerus), *quam resistenti uehemens, quam facilis supplicanti.* pro *utique* restituendum putauerim *ubique.* deinde subest aliquid uitii in uocabulo *qualis.* et uerba ipsa non praestiterim, neque tamen ueri dissimile duco tale aliquid Nazarium scripsisse *quam ualidus excipiendo hosti.*

Ib. 38, 3 *iacet in latere Galliarum* *aut* *in sinu tuo fusa barbaria,* dicuntur haec de Germanis deuictis. Liuineius scripsit *aut in sinu suo,* Acidalius *at in sinu,* Schonhouius *ac in sinu,* mihi scribendum uidetur *ut in sinu tuo,* aperta et apta de Constantino hostium pacatore sententia.

Latinum Pacatum — iam enim ad hominem deuentum est paullulum modestiore sermone usum eundemque haud exiguam Theodosii rerum notitiam praebentem — miror ineunte panegyrico nemini obscurum uisum fuisse talia locutum *siquis unquam fuit, Imperator Auguste, qui te praesente dicturus iure trepidauerit, eum profecto me esse et ipse* *futuro* *et eis, qui consilium tuum participant, uideri posse uideo.* scribendum est quod et sensu flagitatur et litterulis prope eisdem constat *auguro.*

Senecae ad Heluiam de consolatione 6, 6 haec sunt uerba a Puteano ad locum Pacati qui est 10, 1 laudata *inuenio qui dicant inesse naturalem quandam inritationem animis conmutandi sedes et transferendi domicilia.* *mobilis* *enim et inquieta homini mens data est: nunquam se tenet, spargitur et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit uaga et quietis inpatiens et nouitate rerum laetissima.* quae dum lego uix adducor ut Latinum Pacatum 6, 3 haec scripsisse credam *non frustra plane opinione sapientium, qui naturalium momenta causarum subtilius sciscitati arcanis caelestibus* *nobiles* *curas intulerunt, augustissima quaeque species plurimum creditur trahere de caelo,* fuisse credo *mobiles* *curas.*

Non confido emendare me posse quae idem habet 12, 4 *illi enim, illi auide regna desiderent quos soluta legibus uita delectat, quorum crudelitas indemnatos necandi, cupiditas priuata rapiendi, libido honesta foedandi* *ius* *atque impunitatem requirunt.* desideratur tale aliquid quale Patarol interpretatione repraesentat *và cercando impunitade ed arbitrio,* uenitque in mentem *uim* *et impunitatem,* sed meliora proferenti lubens cedam. quae autem paullo post leguntur ex alio genere sunt *ius summum facultate et copia, non securitate peccandi experiris.*

Maximus comparatur cum Theodosio 31, 1 *an sustinere te coram et solum oculorum tuorum ferre coniectum ille quondam domus tuae neglegentissimus uernula mensularumque seruilium statarius lixa potuisset? non statim totum subisset hominem* *praeterita* *sui tuique reputatio? non ipse sibi obiecisset te esse triumphalis uiri filium, se patris incertum?* ... scribendum existimo *praeteriti.*

Barbari in exercitu Theodosii stipendia merebant (32, 5): *nullus tumultus, nulla confusio, nulla direptio ut a barbaro erat, quin, siquando difficilior frumentaria res fuisset, inopiam patienter ferebat et quam numero artarat annonam comparcendo laxabat pro omni praemio omnique mercede id unum reposcens ut tuus diceretur. quanta est uirtutis ambitio: accipiebas beneficium* *quod* *imputares.* recte explicat qui Delphino exemplaria curabat

'ita conferebant in te beneficium, ut te magnam a se gratiam inire putarent', sed quid coniunctiuus sibi uult? apparet Pacatum scripsisse *quom imputares.*

Ib. 34, 4 *spumat decolor cruore fluuius et cunctantes meatus uix eluctatis cadaueribus euoluit, utque se tibi posset speciali imputare militia, ipsum illum uexillarium sacrilegae factionis auidis gurgitibus absorbuit.* scribendum arbitror *eructatis cadaueribus* collato incerti auctoris panegyr. Constantino A. d. 18, 2 *at nunc uiolentus et turbidus hostem rei publicae sorbuisti et, ne tuum lateret obsequium, eructato cadauere prodidisti.*

Ib. 40, 2 *scimus quidem imperator ita te cuncta administrasse, ut non possint se tibi imputare successus, sed fatearis necesse est quantum te in bello, tantum fortunam tuam egisse post bellum: cui si uocem demus et iudicem, nonne prolixe suam enumerabit operam et, ut uirtutibus tuis multa concedat, alique sibi uindicabit?* Schefferus laudat de quibus antea dixi oratoris uerba (34, 4) haec *utque se tibi posset speciali imputare militia,* sed aut egregie fallor aut nihil aliud probabunt quam nostro loco plane contrarium dicendum fuisse: uidetur *non* excidisse: *ut non possint se tibi non imputare successus.* praeterea *iudicem* non recte habet, neque enim de iudicando dicitur sed de indicando; scribendum est *indicem.*

Ignoti auctoris — nam de orationum auctoribus nunc non quaero sed nomina laudo in uulgatis exemplis inscripta — panegyrici Constantino Augusto dicti (9, 4) haec sunt *an nescire nos putas quod cum nimio rapereris ardore, in media hostium tela deueneras et nisi uiam tibi caedibus aperuisses, spem totius generis humani et uota deceperas: toto quippe impetu ferebare torrenti similis amni, quem abruptae radicitus siluae et conuulsa funditus saxa sequerentur.* scribendum arbitror *tanto quippe impetu.* — leuiusculum est quod in eodem panegyrico (1, 3) perperam *et* particula iterata est *sed quamuis conscius mihi infirmitatis ingenitae et inchoati potius studii quam eruditi, cohibere me silentio nequeo, quo minus de recuperata urbe imperioque Romano [et] tandem ex diuturna conuulsione solidato et ipse aliquid coner effari, ut inter tantos sonitus disertorum mea quoque uox tenuis exaudita uideatur.*

Ib. 11, 1 *cum enim dato obsessis tempore paenitendi Aquileiam quoque de legatis eorum [ac]* (*ac* recte deleuit Liuineius) *supplicibus recepisses cunctique se tibi dedidissent quos obsidendo seruaueras, ignouisti omnibus et uitam, quam desperauerant reddidisti: et quidem iussisti arma deponere, ut multo tutius pietate tegerentur: ut tamen pertinaciae suae merita sentirent corripi eos uincirique iussisti non ad supplicium sed uitam ..* puto scribendum esse *equidem,* quod quamquam in hisce panegyricis non memini similiter usurpatum me legere — inuenitur autem omnino rarius — tamen eodem fere modo ueluti Ausonio adhibere placuit: professorum 1 (191) 5

non equidem certans cum maiestate duarum,

technopaegnii de cibis (344) 4

ante equidem campis quam spicea suppeteret frux,

praefationis centoni nuptiali additae (350) 3 *qui nuptias quondam eius modi ludo descripserat aptis equidem uersibus et compositione festiua,* epistularum 19 (409) 26 *quod equidem contra est.*

Palmarem Liuineii emendationem spreuerunt editores eiusdem panegyrici 15, 3 *at enim tu id ipsum de ardore totius exercitus sentiens sine ulla haesitandi mora qua breuissimum per* *e o s* *iter est rapto agmine aduolasti: celeritatem illam in re gerenda Scipionis et Caesaris hunc maxime cupienti Romae repraesentans.* uocabulum *eos* quin corruptum sit nemo dubitauit nomenque gentis uel loci latere Lipsius intellexit. itaque Liuineius *V e n e t o s* scripsit Constantinum Aquileia Romam ad opprimendum Maxentium profectum esse ratus. et hac quidem in re errauit: neque enim Constantinus Verona capta Aquileiae expugnandae ipse (cf. Arntzenius) operam dedit sed potius statim Romam contendit, nam *no more than fifty-eight days elapsed between the surrender of Verona and the final decision of the war* uerba sunt Gibbonis c. 14 (II p. 191 ed. Lips. 1829). quod autem Arntzenius idcirco Constantinum per Venetos profectum esse negat, nihil agit: et poterat quidem Verona Mutinam et inde Romam properare, sed in tabula Peutingeriana *auerona. hostilia. milia. passus. XXXIII. hostilia. ab hostilia. per padum.* uiae appictum est Verona Rauennam ducenti nullaque uia est inter Veronam et Mutinam. quod si Constantinus illa uia utebatur, per Venetos proficiscendum ei erat. — praeterea autem offendo in uocabulo *hunc:* scripserim *quam.*

Eutropia Maximiani uxor, ex qua Maxentium et Faustam suscepit, si re uera Diocletiani filia erat, non ueri simile est Maximiano nupsisse antequam a Diocletiano Caesar factus esset. quod si uerum est, Maxentius eo anno, quo a Constantino prope Romam uictus et occisus est (p. C. n. CCCXII) annum aetatis egit uicesimum sextum. sed etiam si Eutropia non fuit Diocletiani filia — Aurelius Victor epitomae 40, 12 simpliciter *Syriam mulierem* eam appellat — cum Maximianus a. CCCVIII sexagenarius interierit, Maxentius a. CCCXII maior quadraginta tribus annis natus esse non potuit. at profecto ueri simile est eum annis multo inferiorem fuisse. et enim a. CCLXXXXI Constantius Constantini pater cogebatur ut uxore dimissa cum Maximiana Theodora, Maximiani priuigna, matrimonium iniret. quod si tum Fausta, Maximiani filia, nubilis fuisset, profecto ipsa Constantio tradita esset. sed hoc utut est, absurda sunt quae in eodem panegyrico paullo post de pugna illa leguntur (16, 3) *at quo modo instruxit aciem* *t o t* *a n n o r u m* *uernula purpuratus? ita prorsus, nequis euadere, nequis, ut fit, loco motus referre gradum et instaurare proelium posset, cum a fronte armis, a tergo Tiberi flumine premeretur.* patet scribendum esse *aciem tot* *a r m o r u m.* ingenti enim exercitu Maxentius utebatur: cf. Nazarius, qui de eodem proelio haec habet 28, 4 'apud Tiberim igitur suos instruxit sic ripae locatos, ut ultimorum uestigia praesagio quodam euenturae cladis unda fatalis allueret: i t a u e r o m u l t i t u d i n e s u p p e d i t a n t e, ut ultra quam uisus agi posset extenta acies pertineret.'

Et eis quidem oratoribus, quibus emendandis huc usque operam dedimus, socius ante hos quinquaginta duo annos accessit Q. A u r e l i u s S y m m a c h u s, cuius orationum particulas ex codice rescripto Ambrosiano A n g e l u s M a i u s edidit. in illis igitur orationibus quamquam et ipsis solitae adulationis gratia conscriptis tamen Sym-

machus sermone usus est non solum panegyricis reliquis multo meliore sed etiam eo, cuius in epistulis legendis taedet, paullo tolerabiliore. sunt autem praeterea quae Maius felici fortuna inuenit tanti ad res gestas Valentiniani Augusti cognoscendas momenti, ut multa, quorum tenuis apud Zosimum et Ammianum Marcellinum notitia extat, hinc demum aut clarius perspicere aut utilissime illustrare possis, alia ab illis non commemorata, nisi hinc constarent, prorsus ignorares. quo ex genere nihil est notatu dignius quam quod unus nisi fallor Symmachus de portu in sinistra Rheni ripa a Valentiniano extructo ita tradidit, ut simul haud mediocrem ei, nisi ubi Imperatorem adulatur, fidem habendam esse intellegas. haec sunt oratoris uerba (laudium in Valentinianum sen. Aug. II cap. 21) *nam qua regio Nemetensis extenditur, recessum fluminis murorum ambitus uindicauit paruo aditu nec satis libero, ut stationis exitus propugnaculis desuper protegatur. habent sua quodam modo castra rostratae et intra* (codex *intro*) *conclaue Rheni regia classis armatur. fallit eminus intuentes theatrum consaeptum, qui cum uideant per summa discurri, per ima nesciunt nauigari.* tam accurate haec congruunt cum pictura portus Ostiensis in tabula Peutingeriana (segment. V) adumbrata, ut Symmachum exemplum suum non oratorio more quaesiisse sed neminem amphitheatrum cum tali portu non comparaturum fuisse tibi persuadeas. et de membranis quidem, ex quibus Symmachi uerba medio saeculo sexto scripta eruit, pauca parumque accurata tradidit Maius, in emendatione quamquam leuiuscula aliquot nenda sustulit non multum profecit. post eum 'uenit fortior' L. F. Heindorfius — ipse enim Niebuhrius pauca contulit — cuius egregia inuenta exhibet editio Frontonis Berolinensis. pauca et parua ego adiciam, si modo re uera homo optimus 'e segete ad spicilegium reliquit stipulam.'

Laudium in Valentinianum Augustum I 7 haec sunt uerba *ergo in duas curas diuidis orbis excubias: inuictum fratrem relinquens orienti, ipse supra inpacati Rheni semibarbaras ripas raptim uexilla constituens, et prouincias luxu superiorum deditas ueteris ignauiae pudore defendens, princeps creatus ad difficilem militiam reuertisti.* siquis uocabulum *luxu* datiuum interpretaretur, non recte dictum esset *superiorum*: et enim prouinciae non deditae esse poterant luxui superiorum principum sed omnino luxui et superiore quidem tempore. simpliciter restituendum puto *luxu superiorum perditas*, praesertim cum omnino uix ulla fuerit barbarorum luxuria, sed imperatorum potius delicatorum culpa prouinciae amitterentur.

Laudium in eundem alterarum c. 14 Symmachus *altitudo* inquit *principis utrumque prouidit, ut et illorum circumspectio falleretur qui nunquam mente securi sunt, et nostrorum animus integer perueniret, qui ante solliciti non fuerunt.* Heindorfius sententia recte perspecta proposuit *permaneret*, paullo propius ad ea quae tradita sunt accedet *perennaret*, quod Symmachum dixisse uix mireris.

Ib. 18 *non harenis inmersa haesere uestigia nec tardior nisus per uada cunctatus est. mitiora omnia uisa sunt quam fuerunt: Rhenus placidus cum aestuaret, terra stabilis cum dehisceret, ripa planior cum tumeret. his uirtutis excursibus non obreptioni uia puaeritur, non repentinae caedi insidiarum. appacit ferire praeuentus.* Maius scripsit *uada* cum in codice uideretur extare *udave.* fortasse reponendum *uda uada.*

pro *his* procliue est suspicari *tuis*, cum praesertim *t* praecederet. ex *appacit* Maius effecit *haud placet* et pro *praeuentus* recte scripsit *praeuentos*. fortasse in uocabulo corrupto latet *apage*.

Incommoda sunt quae leguntur in laudibus Gratiani Augusti (9) *quis haec sub te negaret esse credenda, cuius indoles multa iam praestitit et adhuc spes plura promittit.* puto scribendum esse *plures:* neque enim *spes* pluratiuo numero usurpata quidquam habet offensionis. panegyrici enim cum alia substantiua quae abstracta uocantur saepissime ita posuerunt, tum *sperum* legitur apud Eumenium pan. Constantino A. d. 15, 3; *spes uolucres* habet Nazarius 2, 3; *bonas spes* Mamertinus grat. act. Iul. A. d. 8, 4; *spebus timidis* Merobaudes carm. 4, 37. cf. huius libelli p. 7.

Orationis pro patre habitae cap. 7 ab his uerbis incipit *gratulamur tibi, iuuenis Auguste, quod paterni successor factus imperii, tantum malos iudices quasi hereditatis onera repudiasti. non satis tibi idonea bona illa uisa sunt cum ministris ac primo consilium tuum delibera(re adsidue, uel) dum experiris an inprobi atque externi mores exemplo saeculi uincerentur, uel, quod optimo filio congruebat, dum palam facere studes, praeterita delicta potestatum fuisse, non temporum.* non indicauit Maius cur uerba *re adsidue uel* uncinis incluserit: uidentur tamen ab eo ex coniectura addita esse. *ac primo* non intellegitur, scribendum opinor *adprime*. praeterea ineptum duco *tantum:* hoc enim profecto Symmachus in Gratiano non laudabat quod solos malos iudices repudiauerit, quasi etiam bonos repudiare potuisset. fortasse scribendum *statim*.

Verum in codice Ambrosiano restant loci quidam tam male habiti, ut Maius non integras sententias, sed nisi pauca uerba nihil fere legere potuerit. haec uerba in sententias redigere suppletis quae temporum iniuria perierunt, non conatus est sed punctis interpositis singula uerba segregauit. et posset quidem de hisce locis cum accuratius statui tum fidentius aliqua certe lacunarum pars expleri, si Maius de spatiis inter singula uocabula relictis quidquam adnotasset. illud enim et mihi persuasum est et ipsa rei natura docet non tam aequalia ea esse quam ex Maii punctis uideri possint. nimis enim profecto mirabile esset, si summa aequabilitate in mediis membranis siue umore siue carie, siue quae fuit alia pernicies, folia rescripta laborassent. huc accedit quod quae insunt certe in uno illo loco ita comparata uideantur, ut de rebus toto caelo distantibus oratorem dixisse in aperto sit, quae absoluere potuit duobus uel tribus capitulis, non dimidio. adscribam hunc locum (laud. in Valentin. Aug. II 4) ita, ut quae inclinatis litteris expressi mea supplementa sint, cetera codicis lectio:

'Verum est quod saepe n*on* credidi otium locis *talibus* habere *milites*,
qualem te, inhospita regio, nuper inuenimus. ignaras uetustatis arbores *cum uestris*
regiis domibus teneretis, herb*arum cum te* indecoram probares, *ego* tibi exprobro 3
quod uicta es.'

in eis quae ex codice eruit Maius nihil mutaui praeter 1 *habere* pro *haberi* et 3 *regiis* pro *regeis*. sed quae apud Maium sine ullo interductu secuntur, ea patet prorsus alius argumenti esse. sunt autem haec:

'tu *a* sociis *es* emtus: pingeris felicior principe meo: *maiora eis* sunt quae repetunt haec quae *imperator nos*ter adiunxit. conferantur int*erim:* patet ilico*:*

*ui*ncet haec defensa quae capta sunt. audite quae uere ad *summam gloriam* gesta nescitis: sponte *uetera omit*tenda et nouos conser*endos campos*. *ue*nis ad *ea* credo, quae *supersunt* grauiora.'

codex habet 1 *principi* ib. *quam repetunt* 2 *illuc* 3 *uera*.

Extremo eodem capitulo haec temptaui supplementa:

Ex*templo* eam soluimus, *quam cauendum fuerat ne per*peram conderemus. antiquatas urb*es uide*runt *relinqui barbari*. *securi muros ca*rpite: nam *nescit* stare neglegenter facta, cor*ruit quae* condicionem uidit ad *irr*ita mittere *ne* fateretur se nostra tenuisse *barbarus*.'

codex habet 2 *sare* 3 *uenit*. post 3 *mittere* et post 4 *tenuisse* nullae lacunae sunt. omnino extrema uerba uelim alius rectius suppleat.

Cap. 5 ineuntis haec sunt:

C(cunc)ta Gotysiorum (quam uincis) *regio*, glebis, *frugum* uena opulentas in(pert)it *terras*.'

in his uncinos addidit Maius lectionem non prorsus certam esse opinor indicaturus. praeterea in codice est *opulentus*. — quae secuntur aut egregie fallor aut Maius siue legere non potuit siue incuriose enotauit:

'in ue . . cet exempli . . eorum arma populo ter . . . ta est',

apparet illud uerbum quod in fine latet non posse cum uocabulo *arma* iungi, ut haud sciam an tale aliquid Symmachus scripserit *quique ceteros barbaros uirtutis uicerunt exemplis, eorum arma populo R. ter tradita sunt.* plura siquid uideo turbauit Maius in eis quae secuntur hunc in modum ab eo enotatis:

'nec otiosos ospites . . . us ambitum definitum aut . . . (extre)mitas conpulit breue spatium postulari',

namque *conpulit* uerbum flagitat *postulare*, praeterea autem non uerum uerborum ordinem Maius repraesentasse uidetur, potuerunt autem haec ab oratore proficisci *nec otiosos hospites exercitus ambitum definitum aut breue spatium extremitas conpulit postulare.*

Finem scribendi facio non uoluntate adductus sed necessitate coactus. quae enim praeterea ad Symmachum adnotaueram, in praesenti quo minus expromam obstat quod praeter spem labore distringor satis quidem utili sed molestissimo eoque nisi intra definitum temporis spatium absoluto plane desperando, quo simul spero fore ut excusetur quod accuratius denuo non pertractaui, quibus panegyricos adiuuare posse mihi uisus sum.

Eyssenhardt

Schulnachrichten.

I. Prima.

Ordinarius: Prof. Dr. Jungk I.

Religion. 2 St. Der Director. Coet. A. im S. die Lehre von der Erlösung, im W. die Lehre von der Heiligung; in Coet. B. im S. die Lehre von Gott und der Schöpfung, im W. Kirchengeschichte, mit Benutzung des Hülfsbuchs für den evangel. Religionsunterricht von Hollenberg. Auswendiglernen von Kirchenliedern.

Deutsch. 3 St. Prof. Dr. Jungk. Coet. A. im S. Deutsche Literaturgeschichte von Goethe bis auf die neueste Zeit; im W. Logik. — Coet. B. im S. Deutsche Literaturgeschichte von 1500 bis Klopstock; im W. Geschichte der Literatur des Mittelalters. In beiden Coetus freie Vorträge und Stilübungen.

Latein. 8 St. Coet. A. der Director 2 St. Horaz Oden Lib. III. u. IV., 1 St. Quintilian Lib. X. Stilübungen in Extemporal-Aufsätzen. Prof. Dr. Richter im S. Cic. de Or. I—II., im W. Cic. Off. I.—III. in 3 St. — Coet. B. Prof. Dr. Wolff Cic. pro Murena, in Verr. Div. u. Lib. IV. V. u. Auswahl von Briefen 2 St.; Tac Hist. III.—IV. Ann. I. II.; der Director Horaz C. I. II. 2 St. — Extemporalien, häusliche Aufsätze, Exercitien und mündliche Uebersetzungen aus Zumpts Aufgaben 2 St. Prof. Dr. Richter in Coet. A., Prof. Dr. Wolff in Coet. B. — Am Schlusse jedes Quartals wurden einzelne Stunden der Controle der Privatlectüre gewidmet.

Griechisch. 6 St. Prof. Salomon. Coet. A. Hom. Ilias XIII.—XXI. 2 St. Soph. Oed. rex u. Plat. Phaedo 3 St. — Coet. B. Hom. Ilias I.—XII. 2 St. Thucyd. Lib. I. u. Plat. Gorg. 3 St. In beiden Coetus die wichtigsten Theile aus der Syntax u. Extemporalien 1 St.

Französisch. 2 St. Coetus A. Prof. Dr. Zimmermann. 1 St. Extemporalien u. freie Vorträge; 1 St. Lectüre, Tartuffe von Molière und Marie Tudor von Victor Hugo. — Coet. B. Prof. Dr. Wolff. Extemporalien u. freie Vorträge 1 St. La Bruyère les caractères 1 St. Privatim lasen beide Coetus Thiers hist. du consulat im Auszuge von Herrmann, worüber alle vier Wochen eine Prüfung stattfand.

Geschichte und Geographie. 3 St. Prof. Dr. Jungk. Im S. die allgemeine Geschichte mit besonderer Berücksichtigung der geograph. Verhältnisse. Im W. Coet. A die Geschichte von 1493—1815; Coet B. das Mittelalter 3 St. — Repetition der alten Geschichte u. Geographie in Lateinischer Sprache vierzehntäglich in jedem Coetus.

Mathematik. 4 St. Prof. Dr. Bertram. Coet. A. Kettenbrüche, unbestimmte Gleichungen, Ergänzungen der Geometrie, Combinationen, der binomische Satz und Anwendungen desselben. — Coet. B. Stereometrie. Aufgaben aus verschiedenen Theilen der Mathematik.

Physik. 2 St. Prof. Dr. Bertram. Coet. A. im S. Optik; im W. Mathem. Geographie, Akustik. — Coet. B. im S. Mechanik flüssiger u. luftförmiger Körper; im W. Mechanik fester Körper.

Zeichnen. 1 St. Professor C. F. Schmidt für die Primaner und Secundaner, welche daran Theil zu nehmen wünschten. Es wurden Baumstudien, ausgeführte Landschaften und Köpfe gezeichnet und von denen, welche später davon Gebrauch zu machen denken, Uebungen im Planzeichnen vorgenommen.

Hebräisch. 2 St. ord. Lehrer Paul. Wiederholung und Vervollständigung der Formenlehre besonders der Declinationen, Lectüre ausgewählter Abschnitte aus dem I. u. II. Buch Mose und der Psalmen 26—34 u. 1—10. nebst Durchnahme schriftlich bearbeiteter in der Classe nicht gelesener Psalmen.

II. Ober-Secunda.

Ordinarius: Coet. A. Professor Salomon; Coet. B. Prof. Dr. Richter.

Religion. 2 St. Coet. A. Der Director, Coet. B. ord. Lehrer Paul. Lectüre und Erklärung der Apostelgeschiche 2. Theil; im W. des Ev. Matth. 1. Theil, nach dem Griechischen Texte. Auswendiglernen von Kirchenliedern.

Deutsch. 2 St. Coet A. Oberl. Dr. Klemens, Coet. B. Prof. Dr. Zimmermann. Schriftliche Aufsätze und freie Vorträge; die Hauptmomente der Deutschen Literatur mit besonderer Beziehung auf das Drama.

Latein. 10 St. Coet. A. Prof. Salomon. Im S. Cic. Amic., Sen. u. pro Arch.; im W. Livius 24—26 in 5 St. Die Lehre vom Imperativ, Infinitiv, Participium, Gerundium und Supinum; Unterschied der Construction des Acc. c. Inf. und der Partikeln *ut* u. *quod* mit schriftlichen Ausarbeitungen und aus der Lectüre gewählten Beispielen, Exercitien und Extemporalien in 3 St. Virgil's Aeneis I. II. VI. IX. u. 4 Ecl. und einzelne Stücke aus den folgenden Büchern nebst metrischen Uebungen in 2 St. — Coet. B. Prof. Dr. Richter im S. Cicero wie im Coet. A.; im W. Livius I—III. 4 St. — Virg. I—IV. 2 St.; grammatische Uebungen wie Coet. A.

Griechisch. 6 St. Coet. A. Dr. Kühne, Hom. Od. I—VI. u. XXI—XXIV. 2 St; Coet. B. Prof. Dr. Richter. Hom. Odyss. I—VII. u. XI—XXIV. 2 St.; in beiden Coetus Prof. Dr. Richter u. Dr. Kühne, im S. Platos Apologie u. Crito, 2 St.; im W. Demosth. Phil. I. - III. 2 St.; Syntax und Extemporalien 2 St.

Französisch. 2 St. Coet. A. Dr. Kühne, Coet. B. Prof. Dr. Zimmermann. Extemporalien zur Uebung in der Syntax; Uebersetzen aus Mager's Tableau anthol. T. II. ins Deutsche. Wiederholung und Vervollständigung der Syntax.

Geschichte und Geographie. 3 St. in beiden Coet. Prof. Dr. Zimmermann. Römische Geschichte bis zur Regierung Justinians I. nebst Geographie des Römischen Reichs.

Mathematik. 4 St. Coet. A. Prof. Dr. Bertram. Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. Trigonometrie 2 St.; Logarithmen, quadratische Gleichungen, die arithmetische und geometrische Reihe, 2 St.

Physik. 1 St. Coet. A. Prof. Dr. Bertram. Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. Im S. Einleitung in die Physik; im W. Wärmelehre.

Zeichnen. 1 St. S. Prima.

Hebräisch. 2 St. ord. Lehrer Paul. Wiederholung und Vervollständigung des regelmässigen Verbi, die Verba mit Suffixis, die unregelmässigen Verba und die Declinationen, verbunden mit schriftlichen Uebungen; Lectüre historischer Stücke nach dem Lesebuch von Gesenius.

III. Unter-Secunda.

Ordinarius: Coet. A. Oberl. Beeskow; Coet. B. Prof. Dr. Zimmermann.

Religion. 2 St. Coet. A. Oberl. Beeskow. Coet. B. ord. Lehrer Paul. Einleitung u. Einführung in den Inhalt der Bücher der heiligen Schrift, nach dem Hülfsbuch von Hollenberg, im S. des A. T., im W. des N. T. Auswendiglernen von Kirchenliedern.

Deutsch. 2 St. Coet. A. Dr. Kühne, Coet. B. Prof. Dr. Jungk I. Lectüre der vorzüglichsten epischen Dichtungen, namentlich des Nibelungenliedes. Anfangsgründe der Laut- und Flexionslehre des M. H. D. Lehre von den Tropen u. Figuren. In beiden Coet. schriftliche Stilübungen und freie Vorträge.

Latein. 10 St. Coet. A. Oberl. Beeskow, Coet. B. Prof. Dr. Zimmermann. Curtius de gestis Alexandri ganz in 4 St., Syntax der Modi u. Extemporalien in 3 St., mündliches Uebersetzen aus Zumpts Aufgaben 1 St. — In Coet. A. Dr. Müller, Coet. B Oberl. Beeskow. Ausgewählte Stücke aus Ovid. Met. L. VII—XV. Lehre von der Prosodie. Auswendiglernen einzelner Abschnitte 2 St. in beiden Coetus.

Griechisch. 6 St. Coet. A. Oberl. Beeskow. Coet. B. Dr. Klemens. Homers Odyss. IX — XII. 2 St.; Xen. Anab. III — VI. 2 St. Verba anomala und Extemporalien 2 St..

Französisch. 2 St. Coet. A. Dr. Kühne. Coet. B. Dr. Müller. Extemporalien. Syntax der Modi nach Knebels Gramm. Uebersetzen aus Fränkels tableaux historiques.

Geschichte und Geographie. 3 St. In beiden Coetus Prof. Dr. Jungk I. Geschichte der Orientalischen Staaten des Alterthums und der Griechen bis 146 v. Chr., verbunden mit der Geographie der alten Welt.

Mathematik. 4 St. Coet. A. Prof. Dr. Bertram, Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. Gleichungen ersten Grades, Potenzen, Wurzeln, Logarithmen, 2 St. Aehnlichkeit und Ausmessung der Figuren, Berechnung des Kreises, 2 St.

Physik. 1 St. Coet. A. Prof. Dr Bertram, Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. Magnetismus und Elektricitätslehre.

Zeichnen. 1 St. S. Prima.

Hebräisch. 2 St. Ord. Lehrer Paul. Elementarlehre mit Leseübungen; Conjugation bis zu den Guttural-Verben mündlich und schriftlich eingeübt; zuletzt Lectüre historischer Stücke nach dem Lesebuche von Gesenius.

IV. Ober-Tertia.

Ordinarius: Coet. A. Oberl. Dr. Klemens; Coet. B. Prof. Dr. Wolff.

Religion. 2 St. Coet. A. Dr. Klemens, Coet. B Prof. Dr. Wolff. Im W. Psalmen mit besonderer Berücksichtigung der messianischen Verheissung. Ausgewählte Abschnitte aus den Sprüchen und der Weisheit Salomonis. — Im S. Erklärung der messianischen Stellen des Jesaias; Repetition der Geschichte des Israelitischen Volkes nach Jesus Sirach c. 43. sqq. Psalmen u. Kirchenlieder wurden gelernt und die fünf Hauptstücke des Lutherischen Katechismus wiederholt.

Deutsch. 2 St. Coet A. Dr. Hoche; Coet B. Dr Müller. Aufsätze, meist Erzählungen und Beschreibungen; Vorträge historischer Stücke und auswendig gelernter Gedichte; Erklärung von classischen Gedichten und von Proben mustergültiger Darstellungen aus der Deutschen Literatur; daneben Repetition der Grammatik mit besonderer Berücksichtigung der Lehre vom Periodenbau, von den Conjunctionen und der Interpunction.

Latein. 10 St. Coet. A. Dr. Klemens. Im W. Caes. bell. Gall. I.—IV.; im S. V.—VII. Coet. B Prof. Dr. Wolff Im S. bellum gall. V—VIII., im W. bellum civ. I.—III in 4 St.; in beiden Coetus die Lehre von der Consecutio temporum und des Wichtigsten vom Conjunctiv nach Zumpts Grammatik, Extemporalien 4 St. — Ovid. Met ausgewählte Stücke aus Lib. I.—VI., Anfänge der Prosodie 2 St., Coet. A. Dr. Klemens, Coet. B. Prof. Dr. Wolff.

Griechisch. 6 St. Coet. A. Dr. Eyssenhardt, Coet. B. Dr. Hiecke. Die Abweichungen von der regelmässigen Conjugation, Verba auf $\mu\iota$ und die wichtigsten Anomala nebst Extemporalien, 3 St.; Xenophons Anabasis, im S. Lib. II, im W. Lib. I., 3 St.

Französisch. 2 St. Coet. A. Dr. Hoche; Coet. B. Dr. Müller. 1 St. Lectüre, 1 St. Regeln über die Pronomina nach Knebels Gramm. Uebersetzen aus dem Deutschen in's Französische aus Fränkels Cours de leçons Curs. II. und Extemporalien.

Geschichte und Geographie. 3 St. Coet. A. Oberl. Beeskow, Coet. B. Dr. Müller. Uebersicht der mittlern und neuern Geschichte mit besonderer Hervorhebung der Deutschen und Brandenburgisch-Preussischen, in Verbindung mit einer Uebersicht der Geographie Europas.

Mathematik. 3 St. Coet. A. ord. Lehrer Kossak. Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. 1 St. Arithmetik, die vier ersten Rechenoperationen in gebrochenen Buchstabenformeln, Zerlegung mehrgliedriger Formeln in Factoren; 2 St. Geometrie, die Lehre von den Parallelogrammen und den Linien und Winkeln im Kreise, Gleichheit der Figuren nach Kambly §. 60—127.

Naturkunde. 2 St. Coet. A. u. B. Dr. Langkavel. Im S. Botanik; die grössten und wichtigsten Pflanzenfamilien wurden an lebenden Pflanzen und die Arten auf Excursionen gelehrt. Im W. Zoologie nach dem Lehrbuch von Leunis. Die Sinnesorgane und dann besonders die Mammalia und Aves, verbunden mit dem Besuch des Königl. Zool. Museums.

Zeichnen. 1 St. Prof. C. F. Schmidt für die Schüler von beiden Coetus, welche daran theilzunehmen wünschten, die Uebungen wie in Prima.

V. Unter-Tertia.

Ordinarius: Coet. A. Dr. Eyssenhardt; Coet. B. Dr. Langkavel.

Religion. 2 St. Coet. A. Dr. Eyssenhardt, Coet. B. Schulamtskand. Bieck. Geschichte des A. T. und des Jüdischen Volkes bis auf Christi Geburt. Auswendiglernen von Kirchenliedern.

Deutsch. 2 St. Coet. A. Dr. Eyssenhardt, Coet. B. Dr. Langkavel. 1 St. Declamation und Lesung classischer Stellen geschichtlicher Prosa; 1 St. Aufsätze, Lehre von den Casus besonders nach Praepositionen.

Latein. 10 St. Coet. A. Dr. Eyssenhardt, Coet. B. Dr. Langkavel. 1 St. Extemporalien; 3 St. Einübung der Casuslehre nach Zumpts Grammatik; 4 St. Lectüre der alten Geschichte nach röm. Quellen als Lat. Lesebuch von Bonnell; 2 St. Phaedrus.

Griechisch. 6 St. Coet. A. Dr. Marquard (im W. stellvertretend. Schulamtscand. Dr. Diesterweg), Coet. B. Schulamtscand. Hobenberg. Repetition des Pensums von Quarta. Verba liquida und contracta, anomale Declination und Comparation, Exercitien nach der Beispielsammlung Heft I. von Gottschick 2 St.; Lectüre aus Gottschicks Griech. Lesebuche 3 St.; Extemporalien 1 St.

Französisch. 2 St. Coet. A. Dr. Langkavel, Coet. B. Dr. Müller. Unregelm. Verba; Extemporalien; Lectüre aus Fränkel's Cours de leçons 1. Cursus.

Geschichte und Geographie. 3 St. Coet. A. Dr. Marquard (im W. stellvertretend Dr. Diesterweg). Coet. B. Dr. Müller. Im S. Griechische Geschichte; im W. Römische in Verbindung mit der Geographie.

Mathematik. 3 St. Coet. A. ord. Lehrer Kossak, Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II. 2 St. Arithmetik, die Rechnung mit Decimalbrüchen mit relativen Zahlen und Buchstaben in ganzen Formeln; 1 St. Geometrie, die Planimetrie bis zu der Lehre von den Dreiecken incl. nach Kambly bis § 60 und Anwendung derselben auf Lösung häuslicher Arbeiten.

Naturkunde. 2 St. Coet. A. im S. Dr. Rauch, im W. Dr. Langkavel; Coet. B. im S. Dr. Langkavel, im W. Schulamtscand. Wulfinghoff. Im S. Pflanzenterminologie und Beschreibung lebender Pflanzen mit Berücksichtigung des Linnéschen Systems. Auf Excursionen lernten die Schüler die Pflanzen der Umgegend kennen. Im W. nach dem Lehrbuche von Leunis Allgemeine Uebersicht über die Classen des Thierreichs. Beschreibung der wichtigsten Organe, verbunden mit dem Besuch des Königl. Zool. Museums.

Zeichnen. 1 St. Prof. C. F. Schmidt für die Schüler, welche sich weiter auszubilden wünschten. Es wurden Baumstudien, Landschaften und Köpfe gezeichnet.

VI. Quarta.

Ordinarius: Coet. A. ord. Lehrer Paul Coet. B. Dr. Hiecke.

Religion. 2 St. Coet. A. ord Lehrer Paul; Coet. B. Dr. Hiecke. Die evangelischen Perikopen des Kirchenjahres und der Lutherische Katechismus. Uebersicht der biblischen Bücher. Auswendiglernen von Kirchenliedern.

Deutsch. 2 St. Coet. A. im S. Dr. Rauch, im W. Dr. Goldschmidt; Coet. B. Dr. Hiecke. Aufsätze, Extemporalien. Lehre von dem zusammengesetzten Satze und der Wortbildung; Stücke aus Wackernagels Deutschem Lesebuche Theil I. gelesen, verbunden mit grammatischen Uebungen; Declamiren.

Latein. 10 St. Coet. A. ord. Lehrer Paul; Coet. B. Dr. Hiecke. Wiederholung der Formenlehre, Verba anomala, conjugatio periphrastica, das Wichtigste der Wortbildung mit Zugrundlegung des Abschnitts von den unregelmässigen Zeitwörtern in Bonnells Vocabular. 4 St., Extemporalien und Exercitien 2 St.; Cornelius Nepos mit Anfertigung schriftlicher Uebersetzung. 4 St.

Griechisch. 6 St. Die jüngern Schüler vereinigt (Graeca quinta) Dr. Hoche. Lautlehre, die regelmässige Declination und Comparation, εἰμί. Pronomina, Zahlwörter, das Verbum purum non contractum. Uebersetzen aus Gottschicks Lesebuch, wöchentlich abwechselnd Exercitien und Extemporalien. — Die ältern Schüler beider Coetus vereinigt (Graeca quarta) Schulamtscand. Hohenberg. Wiederholung der Declination, Pronomina, Zahlwörter, unreg. Comparation, Verbum mutum, nach Krüger; Lectüre aus Gottschicks Lesebuch; Execitien (Gottschick's Beispielsammlung Heft I.); Extemporalien.

Französisch. 2 St. Im S. Coet. A. Schulamtscand. Hohenberg, Coet. B. Dr. Hoche; im W. in beiden Coetus Schulamtscand. Hohenberg. Uebersetzen aus Fränkels Lesebuch; das regelmässige Zeitwort, fragend, verneinend und im Passiv; Extemporalien; Exercitien.

Geschichte und Geographie. 3 St. In Coet. A. Dr. Hoche; in Coet B. im S. Dr Rauch, im W. Dr Goldschmidt. Geschichte des Brandenburgisch-Preussischen Staats nebst einer Uebersicht über die Geographie von Nord-Deutschland

Mathematik und Rechnen. 3 St. Coet. A. ord. Lehrer Kossak, Coet. B. Oberl. Dr. Jungk II.; 1 St. die bürgerlichen Rechnungen und Decimalbrüche; 2 St. planimetrische Vorübungen.

Zeichnen. 2 St. In beiden Coetus Prof. C. F. Schmidt. Uebungen im freien Handzeichnen nach grossen Vorhänge- und Vorlegeblättern. Häusliche Arbeiten nach Vorlegeblättern.

VII. Quinta.

Ordinarius: Dr. Marquard; im W. stellvertretend Schulamtscand Bieck.

Religion. 2 St. Schulamtscand. Bieck. Das Leben Jesu; im S. nach Matthäus, im W. nach Lucas. Auswendiglernen der 3 ersten Hauptstücke des Luther. Katechismus nebst Kirchenliedern und Bibelsprüchen.

Deutsch. 3 St. Im S. Dr. Marquard, im W. Schulamtscand. Bieck. 1 St. Orthographische und leichte stilistische Uebungen, Einübung des Hauptsächlichsten aus der Satzlehre und Rection des Zeitworts; 1 St. Lesen aus Augusts Lesebuch; 1 St. Vortrag auswendig gelernter Gedichte.

